DE

SECTIONE CAESAREA,

EIUSQUE

NUPER IN CLINICO OBSTETRICIO GRYPHICO PERACTAE MEMORABILI EXEMPLO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO - OBSTETRICIA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARIA GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

DIE III MENSIS NOVEMBRIS ANNI MDCCCXLI

1841

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORG. HERM. FRIDER. SCHOEMANN

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

H. FRIEDRICH, MED. ET CHIR. DR.

AE. HASSLINGER, MED. ET CHIR. STUD.

W. BIESENDAHL, MED. ET CHIR. DRD.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Quum nemo nesciat morem ferre, ut qui summos artis medicae honores sibi tribui velint, de argumento aliquo ex ipsius quam profitentur artis ambitu deprompto libellum qualemcunque conscribant, non est quod specimen hocce a me prolatum excusem, — quippe quod hoc tantum consilio conscriptum sit, ut doctoris gradum rite assequerer, laudem autem vel ingenii vel doctrinae neque habeat ullam neque affectet. Meum igitur hoc solum est, ut causas indicem, quibus permotus sectionem caesaream, de qua nihil quod novum aut suum sit a tirone afferri posse apparet, tractandam susceperim. Circumspicienti mihi dissertationis argumentum diuque haesitanti evenit, ut in clinico obstetricio, quod floret sub auspiciis Ill. *Berndt* perficiendae huic operationi, quae quam raro occurrat nemo ignorat, ipse adesse optatissimumque eventum, qui quam saepe medicum destituat, haud minus omnes sciunt, observare possem. Quare in componenda hac dissertatiuncula id unum spectavi, ut hunc ipsum operationis casum in publicum proderem. Tractatione aut compositione mea rei satis ipsi per se magnae ac gravi aliquid insuper

commendationis accessurum, aut in universum sectionem caesaream illustrari a me ullo pacto posse non ausus sum sperare: id quod unusquisque teneat quaeso, neque alias mihi componendi libelli causas fuisse falso existimet.

Dispertienda autem visa est dissertatio in duas partes, quarum altera dicerem de sectione caesarea in universum, altera, quomodo instituta sit sectio caesarea ab Ill. *Berndt* enarrarem.

In priore parte placuit, postquam de nominis origine deque significatione verbi breviter exposuissem, sectionis caesareae originem accuratius investigare, reliquam autem historiam, usque ad nostrum saeculum obiter solum adumbrare, simulque literaturam, quantum potuit fieri, afferre. Tum methodos maxime memorabiles adieci, et quae mihi optima videretur esse, significavi.

Deinde quam gravis momenti sit operatio demonstrare, simulque quae inventa sint, quo supersederi ea possit, commemorare, eaque quid valeant, ponderare conatus sum.

Denique quae mihi cura puerperae convenientissima videretur, exponere suscepi.

Et has quidem duas posteriores partes, quantum a me fieri potuit, narratis sectionum caesarearum, quotquot proximo decennio in Germania institutae sunt, operationibus, atque in tabella compositis illustrare studui.

Nomina.

Sectionis caesareae nomen unde ortum duxerit si inquirimus, iam Plinii locus: (H. N. Lib. VII. cap. IX) „Auspicatius enecta parente gignuntur: sicut *Scipio Africanus* prior natus, primusque *Caesarum* a caeso matris utero dictus: qua de causa et Caesones appellati. Simili modo natus est *Manlius*, qui Carthaginem exercitu invadit.“ demonstrat falli eos, qui a *Julio Caesare* dictatore nomen operationis repetendum censent. Praeterea constat, *Aureliam*, dictatoris matrem, usque ad quadragesimum octavum filii annum superstitem fuisse. Nec minus probat nostram sententiam *Festus* (de significat. verb. Lib. III, p. 57 ed. Müll.) quum dicit: „*Caesar* quod est cognomen *Iuliorum* a caesarie dictus est, qui scilicet cum caesarie natus est.“ Cf. Doederlin. Etym. et Synon. III, p. 17.

Alia nomina operationem nostram, aut methodum unam alteramve eius notantia haec sunt: partus caesareus, gastrohysterotomia, gastrometrotomia, laparohysterotomia, laparometrotomia, hysterotomotocia, hysterotomia, metrotomia, gastroelytrotomia, quorum vix opus est addere derivationem et explicationem, quippe quas primo quisque obtutu ipse inveniat.

Definitio.

Sectio caesarea ea vocatur operatio, qua cavum abdominis et uteri gravidi cultro dissecatur, ut foe-

tus, qui, in utero inclusus, via et vi naturali e corpore materno progredi nequit, per aperturam artificialem in lucem proveniat, quocum plerumque etiam secundinae protrahantur necesse est. — Instituitur haec operatio, si partus alio modo effici non potest, eo consilio, ut inter frustaneum naturae foetus expellendi nisum neque mater neque foetus vitae detrimentum capiant; aut si mater iam morti succubuerit, ut foetus vivus pariatur, sin foetus iam mortuus sit, et ne embryotomia quidem propter pelvis deformitatem institui potest, ut mater morti instanti eripiatur.

Historia.

Sectionem caesaream in mortuis institutam vix quemquam fugit, iam apud veteres Graecos et Romanos notam fuisse. Hoc docent eorum non solum fabulae, sed etiam certae narrationes, leges aliaque documenta. Atque ut a fabulis exordiar, legimus quum apud alios tum apud *Lucianum* dialog. deor. IX. de Iove, qui *Dionysum* exsectum a Mercurio ex Semeles semicombustae utero, usque ad iustum et maturum partus tempus suis iam ilibus insutum aluerit. Simili modo fertur natus esse *Aesculapius*, ut quem Apollo ex utero Coronidis nymphae crematae excisum in lucem promoverit [1]). Nec minus huc

1) Pindar Pythic. III, 76 et Schol. — Apollodor. III, 10. — Pausan. III, 26. — Ovid. Metam. II, v. 630. — Serv. ad Virg. Aen. VII, 761.

potest referri Lichae origo, quem ex matris peremptae gremio exsectum narrat *Virgilius* [2]).

Datum est sine dubio veteribus huius operationis instituendae primum incitamentum et ratio partim venatica re partim sacrificiis; namque in his saepius factum est, ut in peremptae hostiae utero salvus adhuc inveniretur foetus [3]). Et quum antiquis temporibus sacerdotes simul essent ipsi et soli medicae et chirurgicae artis cultores, quid proclivius fuit quam in gravidis bestiis a curiosioribus artis et naturae huius sectionis experimenta passim institui, id quod testatur exemplo quodam allato *Galenus*, de locis affectis, tom. VIII, p. 443. ed. *Kühn*.

Sed in venationibus quoque haud dubie factum est saepenumero, ut gravidae bestiae sagittis et telis occisae uterus tamen vivum servaret foetum, cuius rei observatione admoniti homines sollertiores facile permoveri poterant, ut naturam arte adiuvare conarentur. Mox a bestiis translatum est artificium ad ipsos homines. Cuius rei vetustissimum testimonium exstat lex Romanorum regia, Numae a plerisque tributa, quae vetat mulierem quae praegnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur: qui con-

---

2) Aeneid. X, v. 315.

3) Velut in Fordicidiis Romanorum, de quibus vid. Plutarch. Numa c. 12. — Ovid. Fast. IV, 630. — Varro L. L. VI, 15 Müller. — Festus s. v. Fordicidis p. 83. Cf. et Arnobius advers. gentes VII, 18 et 22.

tra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videri [4]).

Prima vero, quod sciamus, operationis institutae exempla commemorantur a *Plinio* [5]), qui et Caesareae stirpis proavum, et *Manlium* et *Scipionem Africanum maiorem* ita natos refert. Post eversum imperium Romanum prima fit sectionis caesareae mentio in actis concilii Turonensis anno 1163 habiti, ubi quum chirurgis omnino interdiceretur, ne quis sanguinem in operationibus funderet, de sectione caesarea cautum est, ne, nisi certa ante et iusta inventa forent matris indicia mortis, a medicis institueretur [6]).

Notabiliora ex medio aevo exempla traduntur. In his *Burchardus* comes Linzgoviensis et antistes monasterii St. Gallensis, quem, quia ex matris mortuae utero exsectus fuerat, populares barbare *Ingenitum* appellarunt [7]). Item Sanctius maior (Sanchez el Mayor) Navarrae rex [8]), et *Andreas Doria* clarissimus ille

---

4) Digest. XI, tit. VIII de mort. inferend. fr. 2. — Haec regia lex renovata est saeculo decimo octavo in Sardinia, qua de re vid. Fr. Em. Cangiamila: Embryologia sacra. Venet. 753. fol. et Flaiani collez. di osservaz. e rifless. chirurg. Vol. III, p. 150.

5) l. c.

6) Marten. et Durand collect. ampliss. Vol. XII, p. 1282.

7) Ekhardt de casibus monasterii St. Gallensis, in Goldast script. rer. allemannicar. I, p. 41.

8) Roderic. de Castro de morbis mulierum L. IV. Cap. III, pag. 442.

Venetorum dux [9]). *Cornelius Gemma* [10]) narrat sese sex foetus ex mortuis exsecuisse, et *Horatius Augenius* [11]) gloriatur se ex rusticae cuiusdam matris utero salvum exsecuisse foetum, cui inde *Fortunati* nomen inditum sit. His facile plura exempla adderemus, si rem iis illustrare opus esset.

Extiterunt quidem nostra aetate scriptores, qui sectionis caesareae originem ab Aegyptiis repeterent, eamque coniunctam vellent cum arte mortuos condiendi; sed haec opinio quum idoneis argumentis careat vix potest probari. Protulit eam primus *I. Rosenbaum*, vir doctissimus, acriterque defendere studuit in libro qui inscriptus est: — Analecta quaedam ad sectionis caesareae antiquitates — hisce verbis: „Probatum credimus sectionem caesaream Aegyptios non solum cogitare potuisse, sed vere etiam cogitasse, adeoque ipsam operationem excercuisse, eodem quidem modo, quo usi sunt in cadaveribus condiendis, sectione nempe laterali, quae prima inde iudicanda est.“ Nititur imprimis loco *Plutarchi* de Iside et Osiride c. 12 ed. *Reisk*. Vol. VII, p. 402, de partu *Typhonis*, quem dixerunt Aegyptii *μὴ καιρῷ μηδὲ κατὰ χώραν, ἀλλ' ἀναῤῥήξαντα πληγῇ διὰ τῆς πλευρᾶς ἐξαλέσθαι.* Vulgata conversio „*latere ictu perrupto*“ etsi non falsa, ambigua tamen est, quum

---

9) Venosta discorso intorno al nascimento degli uomini pg. 47. Venez. 1562. 8.

10) Cyclognom. Lib. II. Cap. VI, p. 74. Antverp. 1569.

11) Epistolar. Lib. V. Cap. XI, p. 756.

non appareat, utrum ab ipso *Typhone* intus incluso et ante tempus in lucem properante uterus maternus perruptus sit, an ab aliis, qui extrinsecus eum aperirent partumque protraherent. Graecorum verborum sententiam quilibet intelligit hanc esse, ut *Typhon* ipse uterum perrupisse dicatur. *Rosenbaumius*, conversione latina inductus, contrariam sententiam arripuit, ideoque perperam abusus est *Plutarchi* testimonio.

Apud Iudaeos iam in Talmude mentionem sectionis caesareae fieri aliquot abhinc annis contendit *Mansfeld* [12]. Et primum quidem in antiquissima Talmudis parte, quae Mischna inscripta originem debet saeculo secundo p. C. n., non uno loco commemoratur יוצא דופן *Joze dofan*, quae verba ille vernacule vertit: *Wändeschnitt*. Proprie autem significatur hac loquutione: „*exiens lateris*,“ i. e. ex usu hebraicae constructionis: „*exiens ex latere*,“ foetus scilicet qui (sectione) ex latere exit, neque ex orificio uteri. Utrum vero hic „*exiens e latere*“ viva an mortua matre exire cogitandus sit, discerni non potest, nec vero quidquam esse, cur illa interpretatio potior iudicetur, *Kosegartenius* V. Ill. percunctanti mihi significavit.

Porro in parte, Becor inscripta, locus est a *Mansfeld* pag. 17 citatus, cuius sententia haec est: „Exiens ex latere et qui post eum nascitur, ambo

---

12) Ueber das Alter des Bauch - und Gebärmutterschnittes an Lebenden. Braunschweig 1824.

non sunt priores natu, quod ad patrimonium attinet et ad pontificium," i. e. non sunt iis primigeniturae iura et munera.

In parte, Nidda inscripta, legitur: „In exeunte ex latere non adhibentur impuritatis atque puritatis dies," ii scilicet, qui in hominibus via naturali natis observantur.

In parte Kerith locus est: „Si mulier partum edere nequit die quadragesimo, et infans latere prodit" etc.

Deinde *Mansfeld* transit ad Gemaram, sive secundam Talmudis partem, anno circiter quingentesimo p. C. n. conscriptam, in qua longas de sectione caesarea disputationes extare dicit, locum autem eiusmodi ne unum quidem adscribit.

Denique ad interpretes Iudaicos Talmudis transiens citat *Bartenoram*, *Iom Tow* et *Maimonidem*, qui vixerunt saeculis XII—XV p. C. n. Et sane hi in locis a *Mansfeldio* citatis de sectione in matre viva loqui videntur, neque tamen ex iis demonstrari potest, ipsius Talmudis auctoribus hanc iam notam fuisse.

Unus igitur est *Niddae* locus, supra a nobis adscriptus, et a *Mansfeldio* p. 22 tractatus, qui possit ad sectionem in viva matre institutam pertinere videri, si modo puritatis et impuritatis dies de matre, non de infante accipiendi sunt. Atqui hoc admodum mihi quidem dubium esse videtur. Neque praeter-

mittendum est, quod *Davidsohn*[13]) disertis verbis contendit, omnia quae prolata sint a *Mansfeldio*, a Fulda in dissertatione quadam diariis *Sieboldi* inserta refutari: quamquam quibus hic argumentis *Mansfeldi* sententiam impugnet, quum diaria illa non ad manum sint, non potui cognoscere.

Certa autem vestigia sectionis caesareae in viva muliere institutae, quinto decimo demum saeculo exeunte nobis occurrunt. Consentiunt enim *L. Fr. de Froriep*[14]), *Kessler*[15]), *K. Sprengel*[16]) *Nicolaum de Falconiis* primum sectionem caesaream prospero eventu in muliere viva anno 1491 instituisse. Alii autem, in quibus *Stein*[17]), *Osiander*[18]), *Loder*[19]) etc. primum sectionis caesareae in muliere viva periculum factum esse anno 1500 contendunt, eam scilicet operationem, quam *Caspar Bauhinus* in appendice ad *Roussetum*[20]) commemorat, in Helvetiae

---

13) Historia sectionis caesareae. Dissert. inaug. Regiomont. 1827. 8.

14) Theoret.-pract. Handbuch der Geburtshülfe. 6te Ausg. Weimar 1818. p. 25.

15) Rust's Handbuch der Chir. Artikel: Hysterotomie.

16) Pyl's Repertorium für die öffentl. und gerichtl. Arzneiwissenschaft. Berlin 1791.

17) Pract. Anleit. zur Geburtshülfe. Marburg 1797. p. 251.

18) Handbuch der Entbindungskunst. 2ten Bdes. 2te Abtheil. Tübingen 1821. p. 294.

19) Journal für die Chirurgie, Geburtshülfe u. gerichtlche Arzneikunde. 2. Bd. Jena 1800. p. 765. Note.

20) Foetus vivi ex matre viva sine alterius vitae periculo

pago *Siegershausen* a *Iacobo Nufero* in uxore sua tam felici successu institutam, ut et mater a diuturnis partus difficilis cruciatibus liberata, et foetus servatus sit.

Sequitur spatium quinquaginta fere annorum, quo de sectione caesarea altum silentium est, unde per id tempus aut non institutam operationem, aut, si qua instituta sit, non ad scriptorum notitiam venisse coniicias, praesertim quum haec operatio nondum doctrinae legibus explicata fuerit. Primum enim de sectione caesarea tractatum maiore quadam arte et doctrina conscriptum edidit *Carolus Stephanus* 21) anno 1545.

Longe autem hunc superavit *Fr. Roussetus*, Francogallus, saeculo XVI exeunte, cuius librum de sectione caesarea 22) doctissimi viri absolutissimum bonaeque frugis plenissimum iudicant. Unius *Halleri* testimonium proferam: „Egregius est labor, cordate et mascule scriptus, cuius eo saeculo nihil prodiit simile." — *Roussetus* novem casus prospero eventu susceptos enumerat, et periculum operationis haud adeo magnum esse anatomicis et physiologicis rationibus demonstrare conatur. *Caspar Bauhinus* in libro *Rousseti*

---

caesura a Francisco Rousseto conscripta, Casparo Bauhino latine reddita, variis historiis aucta et confirmata. Basiliae 1591. pag. 117.

21) Dissectio partium corporis humani Lib. III. Cp. I. Paris.

22) Traité nouvel de l'ysterotomotokie. ou enfantement césarien. Paris 1581.

anno 1582 latine edito casibus faustis ab illo enumeratis sex alios adiecit. Quo minus mirari licet commendatam ab his sectionem caesaream indeque saepius in Francogallia exercitam haud raro etiam minus felicem habuisse eventum. Qua de causa non potuit fieri, quin mox multi operationis adversarii existerent, inter quos *Ambrosius Paré*[23]) *Rousseti* aequalis ipseque ante sectionis caesareae laudator studiosus, imprimis nominandus est, qui, quum antea multos faustos operationis eventus in *Rousseti* opere commemoratos testimonio suo comprobasset his verbis: „j'atteste ce que dessus", postea mutata sententia negavit matrem servari posse propter nimiam amissi sanguinis copiam. Etiam *Marchand*[24]) et *Guillemeau*[25]) argumenta, quibus *Rousset* sectionem caesaream commendat, refutare student, et *Guillemeau* quidem eo acrius ei adversatur, quod ipse quinquies operationem infausto eventu susceperit. Mortua autem matre sectionem institui vult, quippe quae prospere saepe sibi evenerit, docetque, quo facilius vita infantis servetur, cuneum in vaginam impellendum, curandumque esse ut orificium uteri apertum maneat, „ne foetui spiritus praecludatur." —

Prohibere tamen non potuerunt, quominus in posterum sectio caesarea persaepe instituerctur. De-

---

23) De hominis generatione. Cap. III in: Opera chirurg. collect. per Petr. Uffenbachium. Francof. ad M. 1590.

24) In Fr. Rousseti apologiam declamatio. Paris 1598.

25) De la grossesse et accouchement des femmes. Paris 1619.

fendit eam enim perbene ineunte saeculo decimo *Rodericus de Castro*[26]), Lusitanus, qui Hamburgi medicinam exercuit; neque minus *Fabricius Hildanus*[27]), qui simul docuit foetum etiam post mortem matris aliquamdiu in utero vivere. In Italia valde commendabatur operatio ab *Hieronymo Mercuriali*[28]), qui multas quoque prospere peractas operationes narrat, et sua aetate sectionem caesaream apud Francogallos non minus usitatam esse dicit, quam venaesectionem apud *Italos* in cephalalgia. Quamquam hoc quidem quum a nullo aequalium referatur, parum verisimile videtur.

In Germania *Michael Doering*[29]) sectionem caesaream laudibus effert, et legem illam regiam valde commendat. Praeterea sectionis caesareae mentionem facit, quam chirurgus quidam *Ieremias Trautmann* anno 1610 in muliere gravida, cuius in abdomine quum vehementi ictu laesa esset, tumor exstitit, quem rupto utero ortum putabat, felici eventu instituit. Hanc *Curtius Sprengel*[30]) censet primam esse sectionem caesaream cui fides haberi possit, primamque quae lege artis instituta sit. Qua de

26) De universa mulierum medicina. P. II. Hamb. 1603.

27) Opera observationum etc. quae exstant omnia. Francof. 1646.

28) La commare ò riccoglitrice. Venet. 1604.

29) Epistola de nova herniae uteri atque hanc subsequentis partus caesarei. Basil. 1614.

30) K. Sprengel's Geschichte der Chirurgie. 1. Thl. Halle 1805. p. 388.

causa omnia priorum temporum exempla, quum parum certa sint, et sine aliqua indicatione, plerumque ab hominibus artis chirurgicae non peritis, velut a tonsoribus, instituta sit operatio, ex historia huius operationis plane excludi vult, et ab hac demum, quam *Ieremias Trautmann* instituit, historiam sectionis caesareae incipit.

Thom. Fienus medio saeculo XVII fortiter hanc operationem defendit.

Theoph. Raynaud[31]), quamquam ipse artis medendi non erat peritus, tamen de sectione caesarea eo modo scripsit, ut appareat, hanc operationem illo tempore valde probatam esse.

Multi tamen eodem saeculo exeunte sectionem caesaream oppugnaverunt et dissuaserunt, maxime *Franciscus Mauriceau*[32]), qui hanc operationem tyrannicam et barbaram, supra modum inhumanam atque crudelem, periculosam denique et homicidiariam vocat. *Roussetum* autem et eius sectatores homines ait mirificae audaciae et exiguae rationis; historiasque omnes ab iis narratas meras fabulas esse contendit, nimia quadam et insana scriptorum fallacia confictas aut exornatas. Ipse quidem infaustum operationis eventum saepius expertus erat, unde concludendum arbitrabatur matrem hac operatione semper vita privari. Hunc *Cosmus Viardel*[33]), aequalis eius,

31) De praecipuis artis chirurgicae controversiis. Frcf. 1649.

32) Traité des maladies des femmes grosses et acouchées. Paris 1668.

33) Observat. sur la pratique des acouchemens etc. Par. 1671.

sequitur. *Cornelius Solingen* [34]), quamquam ipse historiam sectionis caesareae in muliere Leovardiensi felici successu institutae narrat, tamen valde de hac operatione indignatus est, nec unquam instituendam eam esse contendit, quippe quum experientia docuisset, feminas, quae semel sectione caesarea partum edidissent, easdem postea via naturali infantem procreavisse. Etiam *Petrus Patoun* [35]), quamquam sectionis caesareae in cane feliciter institutae mentionem facit, nihilo secius plane hanc operationem repudiat.

Sub finem eiusdem saeculi *Philippus Peu* [36]) studiosissime sectionem caesaream condemnat, et affirmat, se, etiamsi deesset certum vivi adhuc foetus signum, extrahere malle uncinis infantem, quam sectionem caesaream instituere.

Magnus tamen etiam eorum numerus est, qui eodem tempore sectionem caesaream praeceptis divulgare studuerunt, et exempla operationum feliciter peractarum prodiderunt. In his commemorandi sunt *Franc. Thevenin* [37]) Francogallus, qui defensionem sectionis caesareae scripsit, *Henricus van Roonhuysen* [38]), qui praeterquam quod sectionem caesaream laudibus extollit, plura feliciter peractae exempla re-

---

34) Manuale Operation, betreffende het ampt der Vroedvrouten. Amswerdam 1684.

35) De partu difficili. Leidae 1691.

36) La pratique des acouchemens. Paris 1694.

37) Oeuvres etc. Paris 1658.

38) Genees- en heelkonstige Anmerkingen, betreffende de Gebreecken van de Vrouwen. Amsterdam 1663.

fert. Neque minus e Batavis huc pertinent *Stephanus Blancard*[39]) et *Conradus van der Sterre*[40]), quorum alter quomodo instituenda sit sectio caesarea docet, alter legem regiam valde commendat.

Gravissimus autem exeunte illo saeculo in arte obstetricia vir, *Henricus van Deventer*, etiam de sectione caesarea bene meritus est, quum in libro, qui inscribitur: Dageraat der Vroedvrouwen[41]) indicationes, ex quibus operatio instituenda sit, destincte proferat. Ab hoc igitur, quum primus artem obstetriciam in disciplinae formam redegerit, *Eduard de Siebold*[42]) novam huius artis aeram incipit.

In Germania quoque operationem nostram haud exiguos progressus habuisse et libri multi de ea compositi, et exempla a viris artis obstetriciae peritis commemorata docent. Ex his unum *Philippum Hoechstedter* nomino, qui in „raris observationibus[43])" suis, dum casum narrat, quo foetus mortuus e ventre matris exsectus sit, sectionem caesaream laudibus ornat.

Mirari debemus quod usque ad hoc tempus in Britannia vix ullum vestigium sectionis caesareae

---

39) Hollands Iaarregister. 1686.

40) Voorstelling der Noodzakeligheit der Kayzerlyken Snee. Leiden 1682.

41) Leiden 1696.

42) Versuch einer Geschichte der Geburtshülfe. Berlin 1839.

43) Francofort. 1674.

invenitur. Narrat quidem *Marchand* [44]), *Iohannae Seymour* jussu mariti, Henrici VIII. foetum, qui postea nomine Eduardi VI. Angliae imperabat, ex utero excisum esse; et hanc operationem primam esse, cui fides habenda sit *Sacombe* [45]) censet. Nobis tamen haec narratio quum testes alios nullos habeat, exiguae auctoritatis esse videtur. *Samuel Cooper* [46]) tradit fere semper fuisse apud Anglos operationis malum eventum; neque sunt inde ab antiquissimis temporibus usque ad nostri saeculi initium nisi duo casus, de quorum fausto eventu satis constet. Alterum narrat *Duncan Stevart* [47]); alterius a *Iacobo Barlow* Lancastriensi anno 1798 instituti mentio fit apud *Samuel Cooper* [48]), qui notat simul, hunc unum casum fuisse de duobus et viginti (tot enim haud amplius, usque ad annum 1819 in Anglia institutae sunt sectiones caesareae), cuius prosper et foetui et matri eventus fuerit.

Quare quum multo saepius letalem exitum habuerit illa operatio fieri non potuit, quin multi ei existerent adversarii, in quorum numero sunt *Fielding Ould* [49]),

---

44) 1598.

45) Lucine p. 125.

46) Handbuch der Chirurgie. Weimar 1819.

47) Medic. Essays and Observat. of a Society at Edinburgh. Tom. V, 1739.

48) l. c.

49) Treatise of Midwifery. Dublin 1741.

Iohn Leake[50]) et *Dease*[51]). Atque hi tali ac tanto fastidio ac metu a sectione caesarea abhorruerunt, ut maluerint illius loco excerebratione, embryotomia et partu artificiali praematuro uti. *Dease* quidem suadet eius post mortem institutionem.

Iis, qui operationem non plane quidem reiiciunt, sed arctioribus finibus usum eius restringunt, adnumerandi sunt *Iohn Burton*[52]) et *Rob. Wallace Iohnson*[53]), ex cuius sententia sectionis caesareae in graviditate extrauterina institutae saepius bonus eventus sperari potest. — *Iohn Aitken*[54]) quo magis tolleret operationis periculum multa excogitavit et satis mira remedia; ex quibus hoc unum afferam, quod in tepido balneo operationem instituendam esse semper voluit. Prorsus vero incredibile vixque ab insania remotum videtur esse, quod opinatur serra flexibili, quam ad id ipsum consilium excogitavit, ramum horizontalem et descendentem ossis pubis abscindi posse, quo supersedeatur sectione caesarea et synchondrotomia, in posterum vero tempus ita provideatur iustae ad partum edendum pelvis magnitudini.

---

50) Lecture introductory to the theory and practice of midwifery. London 1773.

51) Observations of midwifery. Dublin 1783.

52) Essay towards a complet system of midwifery. London 1751.

53) New system of midwifery. 1765.

54) Grundsätze der Entbindungskunst. Aus dem Engl. von Spohr. Nürnberg 1789.

In Francogallia vero, sicut antea, ita etiam incunte saeculo decimo octavo sectio caesarea florebat, id quod vix potest cuiquam mirum videri, modo consideret ibi licuisse etiam viris spectatoribus esse partuum. Apud Belgios, Germanos et Anglos ea licentia viri non aeque utebantur.

Louis Leger de Goucy [55]) narrat sexies in una femina sectionem caesaream institutam esse. Cuius narratiunculae quid tribuendum sit, vel hinc existimare licet, quod auctorem habet hominem nescio quem, qui semet ipsum post quinque fratres per sectionem caesaream e matris ventre extractos, sextum eodem modo in lucem editum profitebatur. Plura etiam exempla profert, quibus deinde laudem sectionis caesareae amplissimam adnectit. *Iac. Benign. Winslow* [56]) controversiam, quae tunc de adhibendis ad embryotomiam perficiendam instrumentis, deque sectione caesarea agitabatur, ita diiudicavit, ut mortifera instrumenta plane reiicienda, sectionem autem caesaream utique praeferendam esse statueret. Praeterea operationis feliciter a *Soumain* peractae mentionem facit, quam eandem narrat *P. Sue* anno 1763. — *Franc. Simon* [57]) varia narrat sectionis caesareae feliciter finitae exempla, et ipse semel operationem suscepit, contenditque septuagies usque

---

55) La veritable chirurgie établie sur l'experience et sur la raison, avec de nouvelles découvertes. Rouen 1716.

56) Dissert. Non ergo servandam prae foetu matrem etc. Paris 1734.

57) Memoires de Chirurgie. 1741.

ad suum tempus in Francogallia hanc operationem institutam esse. *I. Besse* [58]) sectionem caesaream praecipue in nimia pelvis angustia, et in hydrocephalo instituendam commendat. *Levret* quoque, qui artem obstetriciam ad leges mathematicas accommodare conatus est, eodem tempore sectionem certis in casibus instituendam esse comprobavit.

Inde a medio hoc saeculo XVIII sectio caesarea e Batavia late pervulgata est. Quum enim *Ioh. Dan. Schlichting* [59]) Amstelodamensis medicus, artisque obstretriciae peritus, eodemque tempore *I. P. Rathlow* [60]) vectim Ronnhuysenianum pervulgassent, vitae foetus ubique parci instrumentisque mortiferis abstineri coeptum est. Ita factum est quoque, ut, si ne vectis quidem ope levari posset gravior partus, proximus esset usus sectionis caesareae, quum antea pro his statim adhiberetur embryotomia aut perforatio.

Quamquam etiam ante medium saeculum octavum decimum sectio caesarea in Germania magni aestimabatur, id quod *Purmanni*, *Heisteri* [61]) aliorumque libri testantur, tamen post vectis pervulgationem multo saepius exercebatur, quod vel ex ingenti numero librorum de hac operatione conscriptorum in-

58) Ubi partus difficilis ac desperatus, tentanda sectio caesarea, etiam in matre viva. Paris 1744.

59) Embryulcia detecta etc. Amsterd. 1747.

60) Het berugt geheim in de Vroedkunde van Royer Roonhuysen etc. Amsterdam 1747.

61) D. L. Heister's Chirurgie. Nürnberg 1743.

telligi potest, quarum praecipuos commemorare h. l. mihi liceat.

Praeclare *Storch*, in libro de mulierum morbis, de sectione caesarea exposuit, duoque nobiscum exempla communicavit. *Kaltschmidt*, quo tunc temporis maiorem chirurgum Germania certe nullum habuit, unum librum de partu caesareo (Ienae 1750) conscripsit, in duobus aliis autem, quorum alter inscriptus est: de necessitate exsecandi fetum ex gravida mortua (Ienae 1754) alter: de necessitate partum caesareum instituendi in omnibus gravidis mortuis (Ienae 1766) legem regiam iterum iterumque commendat. *Roederer* 62) professor Göttingensis, qui ter sectionem caesaream ipse perfecit, bis quidem infelici eventu, hanc operationem praecipue in graviditate extrauterina instituendum esse docuit. Cuius discipulus, *Georg. Wilh. Stein* 63), qui aeque ac *Levret* artem obstetriciam ad matheseos leges adstringere studuit, quamquam saepe ipse infausto eventu sectionem caesaream suscepit, tamen de necessitate huius operationis certis in casibus persuasum sibi habuit. *Henric. Nep. Kranz* 64) Viennensis etiam propter nimiam foetus magnitudinem instituendam eam esse contendit, quum inter fortissimum foetus permagni expellendi nisum, uterus

---

62) Elementa artis obstetrit. Goetting. 1752.

63) Pract. Abhandlung von der Kaisergeburt. Cassel 1775.

64) De rupto in partus doloribus a foetu utero. Wien 1756.

saepius rumpatur. *Fr. Beni. Osiander* [65]) vir doctissimus artisque obstetriciae peritissimus, qui multa egregie de hac arte scripsit, non solum indicationes et contraindicationes sectionis caesareae diserte tradit, et quomodo operatio instituenda sit, docet, sed etiam plura instrumenta, inter quae duos cultros ad sectionem caesaream perficiendam, invenit.

Nonnulli quidem etiam hoc tempore sectioni caesareae infesti erant, inter quos commemorandus est, *Ioh. Dan. Mittelhäuser* [66]), qui foetum dissecare mavult, quam sectionem caesaream instituere. Ipse illustris *Boer* [67]), professor Viennensis ita ab sectione caesar. quam crudelem dicit operationem, abhorret, ut libentius excerebrationem et dissectionem foetus adhuc viventis instituat, quippe quum matris vitam pluris habeat, quam infantis.

Etiam synchondrotomia anno 1777 a *Sigault* [68]) inventa, animos a sectione caesarea avertebat; quod testantur inter Germanos *C. Casp. Siebold* et *I. P. Weidmann* [69]); hi enim, quum vidissent

---

65) Ueber den Kaiserschnitt. In seinen neuen Denkwürdigkeiten für Aerzte und Geburtshelfer. Bd 1, pag. 91. Göttingen 1799.

66) Pract. Anleit. zum Acouchiren. Leipzig 1754.

67) Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhaltes. Wien 1791—93.

68) Recit. de ce que s'est passé à la faculté de medicine à Paris au sujet de la section de la symphise des os pubis, pratiquée sur la femme Souchot. à Paris 1777.

69) Comparatio inter sect. caes. et dissectionem cartilaginis et ligamentorum pubis. Würzburg 1779.

synchondrotomiam semel feliciter peractam, ita huius operationis praestantia capti sunt, ut sectionem caes. non solum supervacaneam censerent, sed valde etiam improbarent.

Etiam in Francogallia sectionis caes. existimatio minui coepit, sed tamen non plane evanuit; multi enim nunc quoque contra synchondrotomiam simulque pro sectione caesarea scripserunt, inter quos *Baudeloque*[70]) et *Lauverjat*[71]) nominare sufficiat.

Sed statim post *Siegaulti* mortem, qui jam brevi antea methodo suae, quum saepe letalem vidisset exitum, diffidere coepit, magis magisque synchondrotomia in oblivionem venit, quamquam *Alph. le Roi*[72]) fortiter eam defenderat.

Exeunte hoc saeculo *Sacombe*[73]) non solum sychondrotomiam rejecit, sed etiam sectioni caes. tantopere infestus erat, ut anno 1797 societatem sectionis caesareae evertendae, l'Ecole anticésarienne nominatam condiderit, columnamque ignominiosam poni jusserit, cui nomina eorum omnium inscriberentur, qui unquam sectionem caes. commendassent, aut ipsi suscepissent. Semet ipsum sine ulla instrumentorum ope in summis partus diffi-

---

70) Anleit. zur Entbindungskunst. Aus dem Französ. von Merkel. Leipzig 1794.

71) Nouvelle methode de pratiquer l'operation césarienne. à Paris 1780.

72) Recherches historiques et pratiques sur la section de la symphise du pubis. à Paris 1778.

73) Elemens de la science des accouchemens. à Paris 1801.

cultatibus auxilium ferre contendit. Haec autem omnia non eo consilio ab eo facta sunt, ut hominibus prodesset, sed ut adio suo contra collegas, a quibus feliciter hanc operationem peractam videret, satisfaceret. Haec odiosa et mala voluntas clare etiam inde elucet, quod *Roussetum* a *Catharina de Medicis* archiatrum ideo factum censet, quo atrocius in Hugenottorum mulieres saevire posset. Ceterum non oppressa est sectio caesarea *Socombii* odio, quum praesertim summa hominis vanitas ex libris omnifariae contumeliae et probri plenis indies manifestior fieret, multosque ei excitaret adversarios, quorum primas partes obtinuit *Demangeon*[74]) discipulus *Saxtorphi*, Hafniensis.

Ex iis quae hoc nostro saeculo de sectione caesarea scripta sunt, haec commemorare satis erit:

I. H. Wiegand, über den Kaiserschnitt. In dessen Beiträge zur theoret. und pract. Geburtshülfe. Hamburg, 1800.

G. W. Stein, geburtshülfl. Abhdlgen. Marburg, 1804.

I. F. Nettmann, Spec. sistens sectionis caesareae historiam. Hal., 1805.

N. Ansiaux, Diss. sur l'operat. césar. et la section de la symphise de pubis. Paris, 1811.

Nicol. Meier, Geschichte einer durch den Kaiser-

---

74) Examen critique de la doctrine et des procedés du cit. Sacombe. à Paris 1798.

schnitt glücklich beendigten Entbindung. Francf. a. M. 1821.

Exempla sectionis caesareae inveniuntur multa in:

Hufelands Journal.

Rust's Magazin.

v. Gräfe's und *v. Walthers* Journal.

El. v. Siebolds Journal für Geburtshülfe.

Zeitschrift für Geburtskunde und neue Zeitschrift für Geburtskunde, herausgegebeen von *Busch*, *d'Outerpont*, *Ritgen*, *v. Siebold*.

Methodi sectionis caesareae.

Variae exstant methodi sectionis caesareae perficiendae, quarum praecipua est sectio caesarea abdominalis, quum, post apertum cavum abdominis, uterus cultro dissecatur.

Alterum methodum *Iörg* [75]) invenit. Docet enim peracta laparotomia vaginam (et si forte opus sit collum uteri) cultro aperiendam esse, quo facto foetus in cavum abdominis perveniat, unde per vulnus extrahatur. Ad hanc methodum excogitandam *Iörg* eo permotus est quod aliquando foetum per vaginam inter partus nisus ruptam, solutum in cavo abdominis reprehederat.

Tertia methodo a *Ritgen* [76]) inventa, et gastroelytrotomia vocata, disscinduntur cutis et musculi

---

75) Handbuch der Geburtshülfe. Leipzig 1807.

76) Anzeigen der mechanischen Hilfen etc. p. 441. Giessen 1820.

abdominales intacto peritonaeo; quo facto laquear vaginae specillo acuminato in regione media lineae innominatae dextrae perforatur, vulnusque amplificatur, et si opus est, portio vaginalis uteri dextra inciditur.

Harum operationum prima eademque usitatissima variis modis institui potest. Distinguendi autem sunt modi hi:

1) Sectio caesarea lateralis, quam primus *Roussetus* anno 1581 instituisse dicitur. Hic sectionem tali duxit directione ut sub umbilico incipiens, pari semper distantia servata a margine externo musculi recti abdominis, descenderet usque in eam abdominis partem quae duorum pollicum intervallo est supra regionem inguinalem.

2) Sectio caesarea media, i. e. in linea alba. Quis primus hanc sectionem instituerit non satis constat. Alii *Mauriceauum* alii *Platnerum* inventorem esse contendunt. In Germania *Henkelius* anno 1769 primus hanc sectionem instituisse dicitur. Plurimi hanc operandi rationem ceteris methodis praeferunt, quamquam de longitudine et directione sectionis inter se discrepant. *Deleurye* sectionem duorum pollicum spatio supra symphysin ossium pubis incipere et ascendens usque ad duo pollices infra umbilicum finire vult. *Baudeloque* sub umbilico, aut supra eundem incipiens usque unum et dimidium pollicem supra symphysin pubis cultrum deducit. Alii alia proposuerunt.

3) Sectio caesarea transversalis, quam *Lauverjat*[77]) anno 1780 invenit sic in latere prominentiore instituitur, ut inter tertiam spuriam costam et cristam ossis ilei, simulque inter musculum rectum abdominis columnamque vertebralem pollicum quinque longitudine, ducatur.

4) Sectio caesarea obliqua a *Stein* iun.[78]) commendata, ab anteriore infimae costae spuriae parte lateris alterius, usque ad ramum horizontalem ossis pubis lateris alterius per mediam lineam albam deducitur.

Quae ceteris sit praestantior non potest diiudicari; unaquaeque enim, modo adhibeatur suo loco, est bona. Quare quum constitui non possit, quae quovis in casu praeferenda sit, in universum tamen quae sit praestantissima, constituere liceat.

Qua de re antequam disseram causae afferendae sunt, quibus moti viri artis obstetriciae periti diversas has methodos excogitarunt.

Accidit persaepe ut inter ipsam operationem, et post operationem peractam mali casus obveniant, unde plerumque malus operationis eventus fiat. Hi casus quum a modo locoque, quo culter digiritur, plerumque repetendi sint, id imprimis agendum fuit, ut loco quam aptissimo culter adhiberetur, ubi mali casus minus timendi essent.

Frequentissime autem inter ipsam operationem

---

77) l. c.

78) Geburtshülfl. Abhandlungen. Marburg 1803.

occurrunt primum: haemorrhagiae, aut e vasis epigastricis, aut ex utero ipso, aut e placenta dissecta: deinde prolapsus intestinorum aut omenti e vulnere abdominis. Laesiones vesicae urinariae aut aliarum partium vix huc pertinent, quum, si cautius secetur, quavis operandi methodo vitari possunt.

Post operationem timendum est praecipue, ne intestina in vulnere uteri incarcerentur. Haemorrhagiae internae, et extravasationes sanguinis aliorumque vulneris secretorum in cavum abdominis haud minus fere periculum adducunt. Denique huc pertinet hernia abdominalis, quae non tam periculosa quam molesta est. Multa praeterea accedunt inter et post operationem inoptata, quae tamen, quum ad eligendam operationis methodum nullius sunt momenti, transire licet.

Ut evitentur illa incommoda, maxime opportuna sectio media videtur esse.

Primum enim quod ad haemorrhagiam attinet, haec oriri vix potest, neque ex vulnere abdominis, quum arteriae epigastricae non dissecentur, neque ex utero ipso, qui media parte, ubi vasa reperiuntur minima, inscinditur, nec e placenta, quae, quum plerumque dextro aut sinistro uteri parieti adfixa sit, sectione media plane non tangitur. Eadem methodo, quum uterus lineae albae proximus sit, optime prohibetur, quominus intestina aut omentum prolabantur, Pari modo incarceratio quoque intestinorum avertitur, nec est difficilis inde secretorum effluxus; non

magis timendum est, ne ex inflammatione, quae vulnus abdominis sequitur, periculum oriatur, quum cutis solum et fascia dissecentur. Hernia abdominalis propter arctissimam vulneris coalitionem hanc secandi methodum perraro sequi dicitur [79]).

Sectio lateralis, quae si commoda spectamus, sectioni mediae proxima est, tamen non perinde aestimari debet; quare talibus in casibus solum instituenda est, in quibus sectio media adhiberi non potest. Hanc autem instituere non licet, si spatium inter umbilicum et symphysin ossium pubis non tantum est, ut sectio quinque pollicum longitudinem aequiparet. Praeterea sectionem lateralem instituamus necesse est, quando placentam anteriori parieti uteri affixam esse suspicari licet, aut si uterum valde obliquum in abdomine situm perspicimus. Aliis autem in casibus sectioni mediae valde posthabenda est. Haemorrhagia enim semper nascitur quum dissecentur non arteriae solum epigastricae, sed ei etiam uteri parti vulnus infligatur, in qua magna est vasorum multitudo. Huc accedit, quod vulnus abdomini inflictum haud parvae magnitudinis est, ideoque bona cicatrisatio difficilius procedit. Praeterea quum vulnus uterinum abdominali non bene se accommodet, quae secernuntur e vulnere minus commode profluere possunt.

---

79) Encyclopäd. Wörterbuch der medicin. Wissenschaften; herausg. von Busch, Graefe etc. Berlin 1839. Bd. XIX. pag. 335.

Sectio transversalis semper fere reiicienda est, quum vix unquam aliquid commodi prae aliis methodis exhibeat, vel si quid commodi interdum forte insit, maior tamen sit numerus incommodorum. Sperabatur quidem fore, ut hac methodo vulnus uterinum minus hiaret neque incarcerationi intestinorum faveret; sed hoc commodum minoris solum momenti haberi potest, si vulneris hac methodo abdomini inflicti magnitudinem, nimiamque quae semper fere oritur haemorrhagiam ex dissectis vasibus epigastricis respicias. Huc accedit quod secretum, quum post contractionem uteri vulnera non bene sibi respondeant, recte effluere nequit.

Easdem fere ob causas etiam sectio obliqua reiicienda est. Ceterum de hac operandi methodo quum bis solum instituta sit, experientia vix aliquid certi docere potuit.

Quod ad illas methodus pertinet quas *Iörg* et *Ritgen* invenerunt, primo quidem adspectu commoda nonnulla praebere videntur. Laesio enim uteri hac utraque methodo plane, aut quidem maxima ex parte evitatur, quare nec timendum est, ne haemorrhagia nimia oriatur, aut intestina incarcerentur. Praeterea methodus *Ritgeniana*, quia peritonaeum non dissecatur, intestina prolabi non sinit. Non tamen sunt hac methodi aliis praestantiores, et quidem eam ob causam, quod extractio foetus perdifficilis est, et noxia portionis vaginalis uteri torsio et distractio vix potest vitari; praeterea si opus erat orificium et collum uteri incidi, rupturae facile oriri possunt.

Priusquam de gravitate, de indicationibus, deque cura sectionis caesareae disseram, exempla operationis proximo decennio in Germania peractae, quotquot in libris inveni, proferre liceat, ex quibus quantum fieri potest, quam magni sit momenti sectio caesarea, quae sint indicationes et cura, constituatur. Vid. tubulam.

Exempla a me collecta et proposita satis demonstrant in quantum discrimen hac operatione vita matris adducatur. Ex iis quoque exemplis, quae alii tradiderunt quam raro felix eventus sperari possit, intelligi potest. *Sprengel* [80]) e. g. ex octoginta operationibus triginta novem quae prospere cesserint, quadraginta contra et unam quae infeliciter, enumerat. *Michaelis* [81]) ex ducentis quinquaginta octo casibus, centum duodeviginti cum felici, centum contra quadraginta unum cum infelici eventu fuisse narrat.

Et mirandum sane est, operationem, quamvis optimis auspiciis susceptam, tamen infaustum saepe habuisse eventum, contra nonnunquam ubi felicis eventus vix aliqua spes esset, prospere tamen cessisse. Constat enim, sectionem caesaream instrumentis ad hunc usum minime aptis, ab hominibus tali conamini non paribus neque rei gnaris atque

80) Gesch. der Chirurgie. Thl. I, p. 381—400.

81) Abhandlungen aus dem Gebiete der Geburtshülfe.

peritis, cum summo parturientium cruciatu peractam, eventum prosperum habuisse; rursus autem non pauca exempla extant, quae doceant, matres, etsi operatio a chirurgis peritissimis, ex lege artis, quum omnia felicem eventum praedicere viderentur, suscepta esset, tamen periisse. Cuius rei si causas indagamus ad certos quosdam deducimur casus, unde praecipue periculum creetur. In his primum locum obtinent morbi universales. Quum enim plerumque ista pelvis deformis abnormitas, qua sectionem caesaream instituere cogimur ex morbo universali, velut rhachitide, syphilide, arthritide orta sit, vix sperare licet, fore ut bonus eventus adducatur dum hae morbosae diatheses adhuc in corpore lateant. Vis vitalis enim mulierum tali morbo correptarum exilior est quam quae damuo ex vulnere in sectione caesarea inflicto resistere, et naturae in sanando vulnere contentionem adjuvare possit.

Bonum contra eventum praesagire licet, si illi morbi universales, quibus pelvis deformata est, iam aetate puerili evanuerunt, quod in rhachitide fieri solet, aut si propter causas mechanicas velut fracturam, pelvis magnitudo deminuta est.

Magni momenti, ad felicem eventum, etiam tempus est, operationis institutae. Nam sperari vix potest, quum, laboribus ad partum frustra impensis, conatibusque per vaginam foetus extrahendi pluribus frustra factis, vires magnopere iam sunt attritae, prospere operationem esse eventuram. Quodnam vero tempus sectionis caesareae instituendae aptis-

simum sit, utrum aperto iam orificio uteri, an adhuc clauso, ante rupturam velamentorum spontaneam, an postquam iam liquor amnii effluxit, non inter omnes artis obstetriciae peritos convenit. *I. H. Wiegand*[82]) enim suadet, ut operatio sub finem periodi secundi partus, si orificium inter dolores tres usque quattuor pollices apertum sentitur, paullo ante rupturam velamentorum spontaneam suscipiatur, ita quidem, ut eodem tempore, quo prima uteri incisio fiat, velamenta per vaginam dividantur. Etiam *L. Fr. de Froriep*[83]) docet antequam liquor amnii effluxerit, ab eo qui assistit operationi statim post primam in uterum factam incisionem, velamenta dirumpenda esse, in quo negotio cavendum esse monet, ne situs parturientis mutetur. *C. F. de Graefe*[84]) id temporis punctum ad operationem aptissimum judicat, dum, postquam ex ruptis sua sponte velamentis liquor effluxerit, mucus sanguinolentus e vagina profluat, orificium uteri iam valde pateat, tumor capitis aut alius cuiusdam partis digito explorante sentiatur, et dolores continui, ad partum proprie dicti, accesserint.

Has diversas sententias, si paullo accuratius perpenderimus, illi quam *de Graefe* proponit, assen-

---

82) Beiträge zur theoretischen und pract. Entbindungskunst. Hamburg 1800.

83) Theoret.-pract. Handb. der Geburtshülfe. Weimar 1818.

84) v. Gräfe's u. Walther's Journal für Chirurgie u. Augenheilkunde. Bd. 9. Heft 1. pag. 4.

tire non possumus. Si enim operatio ea demum partus periodo instituitur qua iam dolores ad partum proprie dicti incesserunt, timendum est ne uterus dirumpatur, unde summum parturienti vitae discrimen oritur. Neque minus timendum est, ne foetus contractionibus uteri, presso ad pelvim capite, intereimatur. Quare illud temporis spatium, quod *Froriep* et *Wiegand* aptissimum ducunt, quum plura prae se ferat commoda, ad operationem eligendum esse plurimi censent Vis vitalis enim uteri eo tempore iam ita adaucta est, ut evoluto foetu fortiter contrahatur, quo impeditur quominus vulneris nimius hiatus remaneat, neque haemorrhagia oriatur. Praeterea quum hac partus periodo velamenta nondum rupta sint, contractiones uteri foetui periculum nondum attulerunt. Illud vero quod timeri potest, ne, si hac periodo operatio instituatur, liquor amnii in cavum abdominis profluat, ruptura velamentorum per vaginam, quam *Froriep* et *Wiegand* una cum prima in uterum incisione instituendam suadent, optime avertitur.

Dignitatem physiologicam partium in quibus instituitur operatio, si perpendimus, non mirabimur, tam raro bene evenire sectionem caesaream. Uterus enim graviditatis ultimo tempore sanguine impletus, summa vitalitate viget, quae partim adaucta activitate reproductiva in vita vegetativa, partim adaucta nervorum uteri actione, quae in totum systema gangliorum hypogastricorum propagata erethismum eorum provocat, sese manifestat.

Influxus noxius ex his rebus ortus, atque ad morbos proclivas reddens gravidas, inter normale quidem puerperium, sudore lochiis et lactatione minuitur aut plane aufertur. In talibus autem puerperis, quarum pelvis deformitas morbo universali effecta est, quum iam vires partim ipsa graviditate, partim laboribus ad partum exhaustae sint, eo maius periculum erit, si uterus, (cuius tum vigor maximus est) tanto etiam vulnere laeditur. Inflammationem enim, his ex causis iusto maiorem oriri videmus; nam peritonaeum vicinaque viscera corripiens non solum vitae discrimen movet, sed etiam in gangraenam et sphacelum abiens, mortem adducit. —

Pericula ex his causis exorta affectionibus psychicis valde augentur; timore enim et anxietate, quibus parturientes iam ante operationem et inter ipsam vexantur, erethismus gangliorum hypogastricorum in statum spasticum et paralyticum transmutatur, unde apoplexia nervosa oritur.

Status spastici, velut emesis, singultus etc. eam quoque ob causam quominus bonus eventus adducatur, prohibent, quod suturae cruentae rupturam efficiunt, itaque prolapsui intestinorum, incarcerationi eorum in vulnere uterino, haemorrhagiis et extravasationibus in cavum uteri favent; quarum rerum iam antea mentio facta est.

Curationem post sectionem caesaream, quae maximi quod ad eventum operationis attinet, momenti est, quum postea de eadem acturus sim, hoc loco praetermitto.

Avertendorum periculorum quae cum sectione caesarea coniuncta sunt, artis obstetriciae periti talia dederunt consilia, quae plane supervacaneam redderent istam operationem. Haec autem omnia fere reiicienda sunt, quum aut non minus afferant periculi, quam ipsa sectio caesarea, aut nihil commodi praebeant, aut mediocrum officiis repugnent.

Ex his imprimis commemoranda est synchondrotomia. Dissecta enim symphysi ossium pubis, coniugata vix paucis lineis patentior fit, quare tum frustra instituitur synchondrotomia, si caput foetus propter pelvis nimiam angustiam, in aperturam primam intrare nequit. Praetera, si instiuitur in pelvi non angustiore, quam ut caput, peracta synchondrotomia per vaginam forcipe evolvi possit, tot periculis coniuncta est, ut sectioni caesareae eam proferre vix liceat. Plerumque enim symphysis sacro-iliaca dirumpitur, ex quo etiamsi mors non subito adducitur, tamen claudicatio, tumores ossium, caries, ulcera fistulosa et suppuratio vires exhauriens efficiuntur, quibus vita postea quoque succumbere potest. Gangraena quoque et sphacelo, qui aut incarceratione partium mollium inter dissecta ossa pubis, aut urina e laesa fortuito urethra prostillante, mors adducitur.

Num autem id, quod a nonnullis propositum est, ad avertendum sectionis caesareae periculum, partus praematurus artificialis instituendus sit nec ne, certo constitui vix potest. Nam etsi constat, foetum octo mensium iam extra uterum vivere posse, tamen quum vel tempus graviditatis vel magnitudo foetus

vix certis signis cognosci possint, et quum plures saepe dies post aperta velamenta, effusumque liquorem amnii praetereant, antequam foetus ex utero excludatur, eventum huius operationis semper incertum, salutemque infantis dubiam esse consequitur. Neque minora gravidae ex hac operatione pericula imminent. Uteri enim energia eo tempore nondum tanta est, ut foetu excluso, fortiter contrahatur, quare homorrhagiae nimiae vitam exhaurientes ne oriantur, timendum est. Porro etiam *Ulsameri* [85]), sententia non parvi habenda est. Putat enim ille vim plasticam uteri, quum partu praematuro artificiali subito interrumpatur, tantopere a norma aberraturam esse, ut pseudoorganisationes inde procreentur.

Quae quum ita sint, eo solum in casu partus praematurus artificialis sectioni caesareae praeferendus esse videtur, si appareat, foetum maturum propter pelvis angustiam via naturali vivum procreari nullo modo posse, gravidaque sectionem caesaream prorsus recuset. Sed partui praematuro artificiali locum non esse, si coniugata et alii pelvis diametri tam parvi sint, ut ne caput quidem foetus octo mensium neque in primam aperturam intrare, neque per aperturas reliquas penetrare possit, luce clarius est.

Ad avertendum periculum sectionis caesareae *Brünninghausen* [86]) innoxium quidem, sed fortasse

---

85) Ueber den Kaiserschnitt. Im encyclopäd. Wörterb. der medic. Wissensch. Berlin 1835. Bd. XII.

86) Etwas über die Erleichterung schwerer Geburten. Würzburg 1804.

inutile proponit remedium. Voluit einim gravidam parcissime, et nutrimentis solum vegetabilibus nutriri, quo impediatur, quominus foetus iustam assequatur magnitudinem. Sed quum evolutio foetus vix adeo retineri possit, ut sine periculo per pelvim, cuius angustia sectionem caesaream postulet transire possit, nihil ista ratione profici posse videtur.

Ei autem consilio, quod a nonnullis propositum est, ut embryotomia in tanta pelvis angustia, quae foetum dissecare, dissectumque per vaginam extrahere permittat, etiam vivo foetu instituatur, nemo profecto assentiet. Dicunt quidem *Phil. Peu* [87]), *Conr. Becker* [88]), *Boer* [89]) aliique a sectione caesarea abhorrentes, matris vitam multo pluris aestimandam esse, quam infantis, summaque iniuria pro dubia infantis salute, certam matris vitam in discrimen adduci; sed si consilium et rationem artis obstetriciae hanc esse reputamur, ut si fieri possit, utriusque vita servetur, embryotomiam in foetu vivo plane reiiciendam esse non dubitabimus.

Prognosis, quantum ad infantis vitam attinet non mala est; fere nunquam enim inter ipsam operationem vita eius periclitatur, nisi aut fortuitae laesiones obveniant, aut perdifficilis sit infantis evolutio,

87) l. c.

88) Praedocsonia inculpata ad servandam puerperam. Giess. 1729.

89) l. c.

aut incarceratio eius in vulnere uternio accidat. Nullam autem spem foetus servandi adesse, si ante sectionem caesaream ope forcipis aliorumque instrumentorum per vaginam extrahi coeptus sit, experientia docet.

Indicationes.

Ex iis quae proposui exemplis, non omnes sectionis caesareae indicationes colligere licuit, quippe quum nihil in iis nisi nimia pelvis angustia et ruptura uteri inveniatur. Aliae autem res, quae operationem postulant, veluti concretiones partium genitalium mollium, etc. non obvenerunt. Itaque si non solum quid illa exempla doceant, sed quid res ipsa ferat respicimus, alias esse indicationes operationis donec foetus vivat, alias si iam mortuus sit, inveniemus.

Nam donec vivit foetus sectio instituitur:

1) Tanta in pelvis angustia ut foetus neque natura, neque auxilio artificiali vivus excludi possit; id est:

a) Si coniugata non plus quam duorum pollicum et dimidii longitudinem aequiparet; tres fere pollices longa esse debet, si caput foetus permagnum invenitur, aut suturae et fonticuli iam sunt ossificati.

b) Si media et infima pelvis apertura tam angusta est, ut caput foetus vivi neque in illam intrare, neque per hanc transire possit.

Refert quidem *Sam. Cooper* [90]) de mulieribus quibusdam, quae, quum coniugatam haberent vix duorum pollicum et dimidii, tamen partus absque artis auxilio naturali via ediderint, sed capitibus infantum adeo compressis, ut inter utramque ossis bregmatis protuberantiam vix duo pollices et quinque lineae essent; longus autem diameter octo fere pollices expleret. Tanta capitis compressio non potuit non letalis esse: quamobrem in tali pelvis angustia sectionem caesaream institui oportebit.

2) Si exostoses, osteosteatomata, aliique ossium tumores, qui operatione non possunt removeri, aperturas pelvis tam angustas reddunt, ut foetus via naturali protrahi non possit.

3) Si partes genitales molles, concretione aliisque deformitatibus ita coaluerunt, ut, nisi operatione periculosiore, quam ipsa sectio caesarea, foetus nullo modo permeare possit.

Si vero iam mortuus est foetus instituitur sectio caesarea in tanta pelvis compressione, quae ne embryotomiam quidem institui patiatur. Porro iis in casibus, qui antea sub 2 et 3 propositi sunt, instituenda est.

Contraindicant sectionem caesaream morbi aut parturientis aut foetus, hi:

1) Tales concretiones et angustiae partium genitalium mollium, quae operatione minus periculosa removeri possunt.

---

90) l. c.

2) Tales foetus monstrositates (hydrocephalus etc.), quae praedicere videntur, infantem, etiamsi per sectionem caesaream vivus ex utero extrahatur, paullo post tamen moriturum esse. Talibus in casibus perforatio aut embryotomia instituenda est, si modo pelvis angustia non obstet. Eaedem etiam in foetu iam mortuo tentandae sunt.

3) Denique si parturiens moribunda est ne instituatur sectio caes., ne illa, si forte inter operationem moriatur, sectione interfecta videatur.

Indicationes sectionis caesareae in mortuis gravidis instituendae, quum solum de foetus vita agitur, non tam angustis finibus inclusae sunt, quam in vivis. Plerumque autem foetus, etiamsi pelvis diametri non obstent, via naturali vivus evolvi nequit, quare in praegnante mortua semper fere sectio caesarea instituatur necesse est. Cavendum autem est, ne operatio in gravida asphyctica suscipiatur, quare si mortis certa signa desunt, primum, forma et magnitudine pelvis aliisque impedimentis non obstantibus, tentamentum fiat, foetus via naturali, ope forcipis, versionis etc. evolvendi, praecipue quum haec remedia in asphycticis tale saepe exerceant incitamentum, ut in vitam revocentur. Si vero de morte dubium exstat nullum, sectio caesarea in quavis fere gravida post hebdomadem vigesimam octavam graviditatis mortua, instituenda est, si quidem signa foetus adhuc vivi reperiuntur. — Foetu autem iam defuncto, funus maternum intactum maneat.

Cura.

Etiamsi operatio ipsa bene peracta sit, neque ullus eorum qui plerumque malus eventus afferunt, casuum, inciderit, non tamen propterea puerpera iam mortis periculo exempta est. Permagni enim interest, qua ratione post operationem aegrota curetur. Primum igitur in curando vulnere abdominali, coalitionem per primam intentionem semper tentandam esse omnes consentiunt. Quomodo autam haec sit instituenda, cruentane sutura an sicca, non convenit. Interdum quidem vulnus, etiamsi solo emplastro adhaesivo et fasciis unientibus contineretur, satis celeriter coaluisse experientia docet. Quum tamen saepissime e vulnere ita curato intestina prolaberentur, et hernia abdominalis postea oriretur, plurimi artis obstetriciae periti suturam cruentam praestantiorem statuerunt; alii autem solam cutem, alii una peritonaeum quoque sutura cruenta coniungi voluerunt. Quibus assentiendum sit, non difficile est indicatu, quum consideramus peritonaeum difficillime coalescere, unde fit, ut, si sutura cruenta non firme continetur, intestina in vulnus peritonaei facile protrudantur, et prohibeant, quominus hoc et musculi dissecti prima intentione coalescant. Ad hoc facile hernia abdominalis remanet.

Iniuria certe *Deleurye*, *Schmidtmüller* et alii peritonaeitidem, quae, quum ipsa operatione peritonaeum dissecatur semper oriatur necesse est, applicatis suturis cruentis ad summum fastigium augeri

censent, (quare hi quoque solo emplastro adhaesivo et fasciis continentibus vulnus contrahendum esse docuerunt). Periculum enim inflammationis nimiae partim cura antiphlogistica avertitur, partim si paucis solum filis peritonaeum perforatur. Tres vel quatuor suturae plerumque sufficiunt, quia infima vulneris pars, ut secretum bene effluat, linteo carpto aperta servanda est. — Nonnulli etiam vulnus uterinum suturis cruentis concludendum esse docuerunt, quod novissimis temporibus, quamquam saepius bono eventu susceptum, a plurimis artis obstetriciae peritis tanquam supervacaneum vel noxium reiectum est. Itaque *Meyerus* [91]) negat, ligaturam vulneris uterini quidquam prodesse, quod intestinorum in vulnus uteri incarceratio, cui propulsandae nonnulli ligaturam adhibuerunt, rarissime usu veniret. Uterum enim detractis foetu et secundinis ita contrahi ut orae eius arcte sese contingant. Quodsi, ait, id quod vix fiet re vera incarceratio invenitur, quo intestina incarcerata solvantur, nil nisi ligaturam vulneris abdominalis aperiri oportebit.

Huc quum accedat quod novissimis *Maieri*, *Merremii*, *Engeltrumii* observationibus edocti scimus, vulnus uterinum neque cicatrice, nec massa quadam organica inter oras uteri exsudata sanari, sed partim concretione peritonaei utero superimpositi, partim

---

91) Med. Zeitung v. Ver. f. Heilk. in Pr. 1837. No. 30.

coalitione tunicae intimae uteri contineri [92]), quam inutilis uteri ligatura sit, satis apparet.

Sed nocere etiam potest haec ligatura, quum, praeterquam quod difficile est fila ligaturae, vulnere abdominali iam coalito, ex utero extrahere, re vera inflammationi uteri faveat, eamque augeat.

Maxime vero ad matrem conservandam facit curatio therapeutica. Quae licet alia sit in aliis puerperis, in universum tamen hoc modo erit instituenda: Ante omnia cavendum erit, ne inflammatio, quam oriri necesse est, nimia fiat. Nam inflammatio organorum laesorum, etsi removeri nequit, est tamen curatione antiphlogistica coercenda, et quominus reliqua abdominis organa afficiat prohibenda. Si vero prima inflammationis signa obveniunt, sanguinis detractiones per vires et constitutionem puerperae, tum universales, tum locales instituendae sunt. Quodsi autem graves dolores, praeter eos, quos partum sequi necesse est, abdomen cruciant, hique augentur abdomine tacto, si calidum est abdomen et extentum, si corpus magis magisque incalescit, si vultus scintillat, ligua arida et ardens, pulsus celeres, frequentes, duri sunt, etiamsi brevissimis intervallis magna sanguinis copia detrahatur, exitus bonus sperari vix potest. — Ubi vero nimius ex venaesectione imminet collapsus,

---

92) Unam ejusmodi observationem Engeltrumii legimus in: Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde, von Busch, Mende, Ritgen. Bd. 4. p. 142 und 143. Weimar 1829.

hirudines ponendi sunt in abdomine, emplastro eo quo decet loco, relicto; sed caute applicandi sunt hirudines ne existat refrigeratio. Itemque si necessarium videtur finita venaesectione, loco perquam dolenti hirudines applicentur. Ceterum quominus antiphlogisticam adhibeamus curationem neque molli neque parvo et suppresso pulsu, modo alia inflammationis certa signa inveniantur, prohibeamur, quoniam eiusmodi pulsus saepe spasticis affectionibus, quae eodem tempore adsunt, provocantur. Praeter sanguinis detractiones interne remedia antiphlogistica adhibenda sunt in quibus primum locum obtinet calomel. Alia vero remedia salina melius vitaveris eam ob causam quod canalem intestinalem magis irritant, et inflammationi eius favent. — Minuta vero inflammatione remediis aut roborantibus, aut excitantibus uti non licet, quippe quibus denuo revocetur inflammatio. Quapropter opus erit mitioribus nutrimentis, nisi profusum adspicimus suppurationem, quae si adest nutrientia et roborantia remedia erunt adhibenda.

Praeter inflammationem respicias oportet systema nervorum. Nam si adsunt, id quod fere semper fit, affectiones systematis gangliorum hypogastricorum irritati, eas remediis narcoticis antispasticis removeamus oportet. Itaque in singultu, emesi, tussi spastica porrigentur Aqua laurocerasi, Tinct. opii, Hyoscyamus in emulsionibus.

Deinde efficiendum erit ut alvi excretiones bene procedant, si quidem hoc modo meteorismus, qui alioquin facillime obvevit, removetur; huius optimum

remedium videtur esse hydrarg. muriat. mit., cuius *Michaelis* [93]) bina singulis horis grana, una cum pilula glaciei ponderis drachmarum duarum bono cum successu porrexit.

Praeterea si opus est, urinae excretiones arte provocandae sunt. Cibi leniter refrigerantes, blande nutrientes primis diebus concedendi sunt. Nutrimenta vero roborantia, et excitantia seriore demum tempore, si omne inflammationis periculum evanuit, porrigenda sunt.

Praecipua autem cura debetur functionibus puerperalibus, quae diathesin morbosam a puerperis removeant.

Secretio igitur lactis, quae cum uteri functionibus intima vicissitudine connexa est, in iis quoque puerperis, quae infantem ipsae nutrire aut nequeunt aut nolunt, tam diu servetur et augeatur, dum omnis uteri irritatio evanuerit. — Deinde curandum diligentissime, ut lochia recte fluant, omniaque quae aliquo modo haec impedire possint avertenda; si oppressa fuerint, rursus provocanda fomentationibus et iniectionibus in vaginam tepidis, caute tamen applicandis, ne fluidum in uterum ipsum intret, et per vulnus eius in cavum abdominis abeat. — Denique sudores aut sustentandi, aut si evanuerunt quavis causa, revocandi sunt, temperatura calida, potionibus calidis talibusque remediis diaphoreticis, quae non sint excitantia.

---

93) Neue Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. 5. Heft 1. p. 15.

Quod ad vulnus attinet, cavendum est, ne ligaturae rumpantur, quare inter emesin, tussim et alios motus quibus conquassatur puerpera, abdomen caute sustentetur necesse erit. Fascia quam rarissime instauretur, ne puerpera iusto saepius moveatur. Ut secreta recte effluant linteum carptum, ex infimo vulneris angulo extractum, recenti saepe permutetur.

Ceterum secundum regulas chirurgiae vulnus et quae huc pertinent, tractanda sunt.

Historia sectionis caesareae nuper Gryphiae institutae.

Wilhelmina Krätzer, annos viginti duos et dimidium nata, Lutitii, Pomeraniae oppidulo, oriunda, per decem circiter abhinc annos Gryphiae vitam degit. Parentes, quorum statura iusto non minor est, praeter hanc septem liberos procreaverunt, iustae omnes magnitudinis. Corpus *Wilhelminae* quamquam propter nimiam extremitatum parvitatem vix duorum pedum novemque pollicum mensuram explet, habitu tamen admodum firmo et pingui est. In summa extremitatum brevitate, capitis et oris magnitudo excellit. Primis annis, si matri fides habenda est, statura puellae ab aliorum infantium habitu non abhorruit, nisi quod caput magnum et deforme fuit;

postea autem singulae corporis partes, praesertim extrema membra, increscere desierunt. Morbis se ante graviditatem nullis unquam laborasse, sed optima semper valetudine usam esse ipsa puella profitetur; itemque mater eam et prima infantia, et inter dentitionem et ineunte pubertate recte valuisse testatur.

Anno aetatis decimo octavo menstrua primum fluere coeperunt, neque unquam inde ab hoc tempore intermiserunt, donec gravida facta est. Ne in graviditate quidem valetudo turbata, nisi quod ter lipothymia accidit. Duodecimo die Aprilis dolores praesagientes sentiebantur. Obstetrix accita quum statim intelligeret, ob tantam pelvis angustiam partum normalem sperari non posse, directori clinici obstetricii viro Ill. Prof. Dr. *Berndt* rem nuntiavit. Qui quum advenisset hora decima vespertina parturientem in stadio partus secundo, statum autem rei hunccce esse invenit:

Exploratio externa ostendit truncum iustae magnitudinis a brevibusque et exiguis extremitatibus valde abhorrentem. Collum pollices duos et novem lineas longum erat. Ab infima vertebra colli usque ad os sacrum longitudo erat pollicum quatuordecim. In ea regione, ubi infima vertebra lumbalis cum osse sacro coniuncta est, magna inveniebatur excavatio sub qua os sacrum, cuius longitudo quatuor fere pollices et dimidium aequiparabat, altius prominebat. Protuberantia ossium pubis ad normam convexa erat.

Exploratio interna pelvim iusto breviorem esse docuit, quandoquidem altitudo a superiore margine

promontorii usque ad finem ossis coccygis tres pollices non excedebat. Promontorium tam proclive in pelvim prominebat, tamque exiguum inter symphysin ossium pubis et promontorium intervallum faciebat, ut coniugata, ter vel quater dimensione instituta, uno pollice novemque lineis haud amplior inveniretur. Os sacrum autem, quum valde excavatum esset, mediam pelvim latiorem reddidit, quam in normali statura esse solet.

Uterus tam in altum elatus erat, ut orificium, quod fere pollicem unum patebat, vix supra ossa pubis deprehenderetur. Ceterum valetudo parturientis nullam sollicitudinem afferebat.

Quae quum ita essent, facile apparebat, partum normalem nullo modo fieri, nec nisi sectione caesarea matris et infantis vitam servari posse. Parentes parturientis et haec ipsa primo id consilium prorsus respuebant. Sed adauctis summopere doloribus tandem hora duodecima parturiens concessit, ea tamen conditione, ut in ipsius domo operatio fieret. Quod quamvis difficile esset, in parvo cubiculo ab octo hominibus habitato, tantam rem commode perfici, tamen quum in sententia pertinaciter perseveraret neque ullo modo ab ea demoveri posset, opus aggrediendum fuit. Omnibus itaque ad operationem praeparatis, plurimisque medicis et iuvenibus medicinae studiosis, qui clinicum obstetricium frequentabant, advocatis, tandem hora secunda operatio inchoata est. Hoc tempore stadii secundi finis instabat. Parturiens vestibus detractis in toro posita est. Uterus medium

fere abdomen tenebat, quo minus dubitari poterat, quin incisio in linea alba esset suscipienda, quum placenta ad dextrum uteri latus sita, medio tamen appropinquare videretur. Doctoribus *Biel*, *Glubrecht*, *Berndt* iun. mandatum erat, ut magnis spongiis utrumque abdominis latus comprimerent, quo intestina retinerentur; Doctori *Parow* restauratio et inspectio parturientis attributa; Prof. Dr. *Kneip* denique secundas in ipsa operatione partes suscepit.

Monendum est, vesicam urinariam vacuam fuisse, atque puerperam post meridiem alvum quoque levasse.

Incisio in linea alba prope umbilicum facta et usque ad unum pollicem et tres lineas supra symphysin ossium pubis ducta est, ita ut sex pollicum et decem linearum mensuram expleret. Quum valde tenuia essent integumenta abdominis mox penetratum est ad peritonaeum, quod in superiore vulneris angulo perforatum, atque hinc incisio cultro capitato usque ad locum inferioris anguli vulneris deducta est. Prolapsus intestinorum nullus accidit.

Eodem modo incisio uteri in superiore angulo vulneris coepta et ad inferiorem deducta, longitudinem pollicum quinque et dimidii aequiparabat.

Peracta incisione, quum sanguinis haud ita multum proflueret, celeriter velamenta aperiuntur, quo facto caput foetus, supra ossa pubis positum, contractione uteri in vulnus prolatum, celerrime una cum corpore extrahitur. Infans masculini generis, sanus atque robustus vagitu mox edito vitam suam testatus est. Funiculus umbilicalis resectus, et

placenta, quae iam in eo erat, ut sponte solveretur, facile remota. Sita fuerat prope dextrum vulneris marginem, neque tamen laesa. Post remotam placentam sanguinis aliquid ex utero profluxit; mox autem auctis uteri contractionibus, fluere desiit. Etiam dum removebatur, et postquam remotus est foetus, intestinorum prolapsus nullus erat, nisi quod ex superiore vulneris angulo parvam omenti partem et particulum intestinorum prominentem videbamus, quae tamen mox reponi poterat.

Ad operationem absolvendam paullo minus trium minutarum tempus suffecerat. Reunio contra vulneris iterum effuso sanguine nonnihil retardata est. Factae autem quatuor suturae cruentae, de quibus nihil dici opus est, nisi peritonaeum quoque acubus perforatum esse. Deinde sutura striis emplastri adhaesivi circum totum abdomen volutis, sustentata est, ita ut sola pars infima vulneris intecta maneret, eo quidem consilio, ut secretum efflueret. Huic vulneris angulo linteum carptum oleo madefactum immergebatur, unguento simplici superimposito. Quibus factis puerpera caute in lectum portata, supina semper iacere omnemque motum, quantum posset, evitare iussa est.

Parturiens per operationem ipsam non nisi dum suturae applicabantur gravioris doloris signa edidit.

Valetudo paulo post operationem vix perturbata videbatur, nisi quod exigua quaedam virium exhaustio oris pallore se manifestabat. Pulsus autem plenitudo et frequentia fere normalis erat. — Appli-

catis suturis et fasciis unientibus puerperae quindecim guttae Tct. thebaicae instillatae sunt, et emulsio semin. papaver. c. aqua laurocerasi ordinata, cuius quaque hora unum cochlear sumeretur. Praeterea regimen et diaeta paullum refrigerans commendata, et quidquid animum aut corpus perturbare posset, quantum potuit remotum. Post horam ab operatione praeterlapsam, nausea exorta, sed una cum doloribus a partu, qui paulo post inciderant, mox evanuit. Pulsuum frequentia ad ictus nonaginta adaucta erat. Nihilominus puerpera circa horam quintam matutinam somno obruta, usque ad septimam quiete fruebatur.

Postquam expergefacta est, status erat hic:

Habitus faciei plane normalis erat, pulsus aliquanto frequentiores, cutis, cuius calor vix adauctus, sudore plane obtecta erat; sensus communis fere nullo modo irritatus. E mammis manu pressis lactis aliquantum excernebatur; lochia atque vulneris secreta bene profluebant. — Quum infans mammis impositus sugere nollet, lac ab adulto homine exsugebatur. Puerpera usque ad horam undecimam somno refecta cibum mucilaginosum avide cepit; solidi cibi non concedebantur. Ab hora pomeridiana secunda usque ad quartam fere iterum bene dormiit, inter quod tempus sudor fere nimius exortus est, et integram post somnum horam perduravit. Lochiorum fluxus nonnihil quidem imminutus, non tamen plane evanuerat, quum digitus vaginam perscrutans sanguine obtegeretur. Infans autem ne tunc quidem

mammas capessebat propter nimiam mamillarum exiguitatem, quare iterum lac ab adulto quodam homine exsuctum; idque etiam postea factum est, quum infans nullo modo sugere neque vellet, neque posset.

Ad pellendam sitim et ariditatem quandam faucium, de quibus puerpera saepius querebatur, potus mucilaginosus calidus datus est. Dolores post partum, quibus circum horam quintam pomeridianam vexabatur, mox sponte evanuerunt. Eodem tempore nonnihil rubrae urinae emissum, quod profluens ardorem quendam in urethra effecit. Etiam tussis spastica interdum puerperam conquassare coepit, quae quum saepius et vehementius sub noctem ingrueret, gutt. quindecim Tct. thebaicae porrectae sunt. Intestina tussi non protrudebantur. Pulsus autem, quum frequentiores, pleniores et tentiores fierent, et inter tussim magni dolores in vulnere et toto abdomine excitarentur, hora nona vespertina sanguinis unciae duodecim per venaesectionem emissae sunt, quo facto, et emulsione, quam supra commemoravi, porro data, somnus accessit et usque ad horam undecimam perduravit. Per somnum pulsus parvi et paullum contracti ad CXIV in minutam ictus augebantur, et singultus interdum audiebantur; ceterum vultus et totius corporis habitus a normali vix abhorrebat. Post somnum hora undecima iterum iniectiones in vaginam factae, quum lochiorum fluxus, quamvis iam antea bis fluida tepida iniecta essent, plane desideraretur. Haud multo post aegrota iterum somno usque ad horam primam diei sequentis fruc-

batur, singultibus solum interdum interrupto; tum expergefacta et de doloribus nonnullis et de angore universali querebatur. Pulsus autem non mutati, et cutis sudore tepido obtecta erat. Iterum infusum chamomillae cum lacte mixtum in vaginam inmissum est. Inde usque ad horam septimam matutinam diei XIV Aprilis bene dormiebat: expergefacta, ipsa valetudinem suam bonam praedicavit. Pulsuum frequentitia ad ictus nonaginta quinque deminuta erat. Quum autem adhuc alvum non deposuisset, cochleari olei ricini porrecto nausea excitata; simul etiam tussicula exorta est, quare abdomen, quum vehementer tussi concuteretur, ab assistente quodam sustentabatur. Nausea sensim ita adaugebatur, ut circa horam decimam antemeridianam vomituritiones, mox vomitus ipse orirentur, fluidumque flavoviride eiicieretur, quo facto non solum nausea sed etiam tussis minuta est. Porrectum dein aliquantulum pulveris aërophori, et ad alvum provocandam saponis albi glandula in anum inmissa. Iam quum pro iniectionibus spongia infuso chamomillae tepido repleta saepius in vaginam immissa esset, etiam lochiorum fluxus aliqua ex parte restitui coepit; mammae autem, quamquam duriusculae factae, tamen, quum premerentur, lactis aliquid secernebant. Urina, tempore meridiano cum urethrae doloribus emissa, colorem ostendit luteum, sedimentumque crassum. Hora prima post meridiem, postquam iterum nausea aucta est, puerpera bis fluidi viridescentis non magnam copiam evomuit. Paulo post, quum dolores in abdomine orti essent,

qui prementibus digitis augebantur, et pulsuum frequentia ad ictus centum adaucta esset, ut inflammatio praecaveretur, venaesectione sanguinis unciae octo emissae sunt. Nihilo secius autem dolores non plane remittebant; etiam ructus iterum frequentiores oriebantur. Alvum toto die, quamquam saponis globuli saepe in anum immitterentur, non deposuerat. Propter singultus et vomituritiones saepius etiam repetentes, Tct. opii simpl. gutt. decem porrectae sunt. Pulsus autem, quum frequentiores durioresque fierent, dolores quoque augerentur, hora undecima vespertina rursus sanguinis unciae octo missae sunt, quo facto aegrota paululum dormivit. Lochiorum quoque fluxus, et lactis secretio per diem plane cessaverunt.

Quum noctu saepius ructibus, angore et vomituritionibus e somno excitaretur, interdum pulveris aërophori doses porrigebantur. Denique hora quinta matutina d. XV April., postquam iam antea saepe flatus abierunt, faeces nonnullas deposuit. — Ceterum memorandum est, cutem semper sudore quodam obtectam fuisse.

Ante meridiem interdum angor, singultus, nausea inciderunt, quae morbosae affectiones ructibus intercurrentibus et porrecto pulvere aërophoro cessabant. In regione hypogastrica, quamquam molle erat abdomen, tamen dolores iterum vehementiores existere, lochia autem fluere coeperant, quae ut sustentarentur spongiae fluido calido repletae ante vaginam positae sunt. Pulsuum frequentia usque ad meridiem a centum ictibus usque ad nonaginta decrescebat. Emulsio

supra memorata, quum aegrotam eius taederet, porro non data, pulvis autem aërophorus ordinatus est. Ad tussim mitigandam, 'quae meridie rursus vehementius exorta abdomen nimis concutiebat, Tct. opii simpl. gutt. quindecim porrectae. — Lactis secretio usque adhuc plane deficiebat. Faeces paulo post meridiem large depositae, pultis consistentiam et colorem fuscum referebant. Usque ad horam quintam pomeridianam nihil memorabile accidit, nisi quod interdum lenis tussis intervenit.

Hora quinta lecti, quo aegrota per omne hoc tempus usa erat, tegumenta, et ipsius vestimenta, quum sudore, lochiis, urina et faecibus squalerent et odorem foetidissimum exhalarent, remota sunt; lectoque in integrum restituto, ipsa puerpera vestimentis mundis induta: quo facto, quum in lectum reportata esset, pulsuum frequentia ad ictus CV vel CX adaugebatur; mox autem rursus ad ictus nonaginta quinque minuebatur. Lochia, parce quidem fluentia, colore consistentiaque muco similia fieri coeperunt. E mammis, etsi admodum tentis, aliquid lactis serosi exsugi poterat. Vespere et nocte sequente aegrota nil questa est, nisi quod semel, hora undecima vespertina, angore quodam vexabatur, qui mox porrecto pulvere aërophoro expulsus; ceterum somno, quamquam propter infantis vagitum nonnunquam interrupto, fruebatur usque ad horam quartam matutinam. Expergefactae, quum iterum tussi et singultu corriperetur, Tct. opii simpl. gutt. quindecim porrectae sunt, quo facto mox illi evanuerunt.

Iterum etiam faecium aliquid, colore fuscescente, pulti simile deposuerat, urinamque turbidam rutilam miserat.

Tempore antemeridiano d. XVI. April. bona fruebatur valetudine, et per aliquod tempus, quantum sui infantis vagitus aliorumque strepitus patiebatur, dormiebat; saepius autem strepitu expergefacta nihil nisi de molesta faucium ariditate querebatur, qua re pulv. aëroph., et aqua cum succo citri et saccharo porrecta sunt. Lochia recte semper profluebant, cutisque sudore obtecta erat; pulsuum frequentia non supra centenos ictus erat. Idem status usque ad horam pomeridianam quintam permanebat; tunc autem de nausea et doloribus in abdomine poroxysmaticis iterum queri coepit, qui tamen, quum pulsus non frequentiores quam antea, expansique et pleni essent, nullius momenti esse videbantur, et mox flatibus emissis evanuerunt.

Sub vesperum singultus et tussis redierunt, quae quum sensim increscerent, ineunte nocte X guttae Tct. opii simpl. datae sunt. Urina hora undecima nocturna cum urentibus in urethra doloribus missa. Totam per noctem puerpera bene dormire potuisset, nisi infantis vagitu aniculaeque eum curantis cantilenis et susurris plus semel e somno excitata esset; tunc interdum etiam singultus obvenerunt. Ceterum neque interdiu neque noctu alvum posuit, lochiorum autem fluxus non intermisit.

Etiam d. XVII. April. valetudo puerperae satis bona erat. Alvinam enim ante meridiem excretionem largam ediderat, singultus et tussis fere

evanuerant, cutis semper tepida erat, lochia, quorum color et consistentia muco similes erant, bene profluebant; pulsuum ictus numerum nonaginta non superabant. E mamma dextra sola lac exsugi non poterat, quare cataplasmatis haec fovebatur. Etiam nocte subsequente bene dormiebat, quoad per strepitum propinquum licuit, quamquam vespere de capitis doloribus questa erat.

De die proximo nihil memorandum est, nisi hora antemeridiana decima fascias novas alligatas esse, quo facto bene se habuit puerpera. Alvum hoc die non posuit, sed flatus interdum et ructus emittebat. Pulsuum frequentia ictus octoginta quinque non superabat. Lochia mucosa, striis sanguineis mixta, bene profluebant.

Per totam fere noctem subsequentem bene dormiebat puerpera, aliquoties etiam interdiu.

Non minus d. XIX. April. bene se habebat, neque quidquam querebatur. Hora quarta pomeridiana fasciae novae alligatae sunt. Neque interdiu, nec noctu, quum optima quiete frueretur, alvum posuit, quod propter paucitatem ciborum superioribus diebus assumptorum mirum esse non potuit. Neque de die proximo nocteque eum subsequente aliud quidquam memorandum est, nisi lactis secretionem e mamma dextra desiisse, mammamque ipsam mollem factam esse.

Quoniam autem puerpera etiam d. XXI. alvum nondum posuerat, hora undecima antemeridiana aqua Saidschuetziana identidem porrecta est. Iam quum

vulnus usque ad angulum infimum, cui quotidie linteum carptum immissum erat, et unde secretum recte semper profluxerat, bene coaluisset, fila ligaturarum extracta et fasciae instauratae sunt. Tandem sub vesperam magna faecium copia deposita.

Inde ab hoc tempore usque ad d. XXVII. April. quotidie, dum aqua Saidschuetziana usa esset puerpera, alvum ponebat. Etiam vulnus, cui novae quotidie fasciae alligabantur, firmissime clausum erat, praeter aperturam unius vix lineae in angulo infimo, unde specillum in cavum abdominis immitti poterat, quae apertura, sicut antea, linteo carpto, unguento simplici oblito, obtegebatur, et emplastro adhaesivo firme, ut orae sese contingerent, contrahebatur. Ciborum appetitus quoque, sicuti per omne inde a sectione tempus, bonus erat; sed etiamtum, quemadmodum per totum curationis tempus, fluidi tantummodo cibi, iuscula aliaque id genus concedebantur. Lochia recte semper fluxerant.

Usque ad calendas Maias status valetudinis optatissimus perdurabat, nisi quod ad aperturam infimam, nondum plane clausam, novum etiam vulnus media in cicatrice bene clausa accesserat, quare pro fascia lintea pridie cal. Mai. circum abdomen voluta, quum haec non sufficere videretur, iterum striae emplastri adhaesivi ad contrahendum vulnus applicabantur. — Decimo demum die mensis Maii puerpera plane sanata dimitti potuit. —

Infans sanus et robustus est.

VITA.

Georgius Herm. Frider. Schömann, confessioni evangelicae addictus, natus sum Gryphiae, pridie calend. August. anni huius saeculi XVI, patre *Georgio Friderico*, matre *Wilhelmina* e gente *Peters*, quae me puerulo diem supremum obiit. Primis litterarum elementis usque ad decimum aetatis annum privata institutione imbutus, gymnasium huius urbis, quod tunc sub auspiciis rectoris Dr. *Breithaupt* floruit, adii; inde autumno anni MDCCCXXXVI a Dr. *Glasewald*, gymnasii directore cum testimonio maturitatis ad universitatem literariam Gryphiswaldensem dimissus sum. Ibi in civium academicorum numerum ab Ill. *Hornschuch* t. t. fasces academicos tenente receptus, apud Ill. *Seifert* gratiosae medicae facultatis t. t. decanum maxime spectabilem, nomen meum rite professus sum.

Scholis per quatuor semestria interfui hisce:

Ill. *Stiedenroth*; de logice et psychologia.

Ill. *Hornschuch:* de historia naturali univers., de zoologia, de botanice. *Eundem* corpora naturalia musei zoologici demonstrantem audivi, nec non in excursionibus botanicis sectatus sum.

Ill. *Hünefeld:* de chemia theoret.-practica, de oryctognosia et mineralogia.

Ill. *Tillberg:* de physice.

Cel. *Kneip:* de encyclopaedia et methodologia medica, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia.

Cel. *Laurer:* de osteologia et syndesmologia, de angiologia, neurologia et splanchnologia.

Ill. *Schultze:* de anatomia corporis humani, de arte cadaverum rite dissecandorum, de physiologia.

Ill. *Seifert:* de pathologia generali, de semiotice, de materia medica, de arte formulas medicas rite concinnandi, de arte fascias rite alligandi.

Ill. *Berndt:* de therapia generali, de pathologia et therapia speciali. —

Post biennium universitatem literar. *Fridericam Guilelmam* Berolinensem petii, et a rectore magnifico Ill. *Ioh. Müller* in album academicum inscriptus, nomen apud Ill. *Schultze* t. t. gratiosae medicae facultatis decanum professus sum. Ibi per annum hasce doctissimorum virorum audivi praelectiones.

Diagnosticen me docuit Cel. *Romberg;* Idem dux mihi fuit in exercitationibus diagnosticis.

Medicinam forensem Ill. *Wagener.*

Pathologiam et therapiam specialem Ill. *Hecker.*

Cutis morbos. Exp. *Dann.*

Anthropologiam: Ill. *Ideler.*

In clinico dignoscendorum curandorumque morborum syphiliticorum duce usus sum Ill. *Kluge.*

Berolino redux iterum universitatem Gryphicam petii, ubi ab Ill. *Grunert*, t. t. rectore magnifico civibus academicis adscriptus, nomenque apud Ill. *Seifert* t. t. decanum medicorum gratiosi ordinis professus, per quatuor semestria viris illustrissimis, celeberrimis praeceptoribus usus sum his:

Cel. *Kneip* disserentem audivi de ophthalmiatrice, de akiurgia, de operationibus chirurgicis in cadavere instituendis.

Ill. *Schultze* de anatomia pathologica.

Ill. *Berndt* de morbis psychicis, de infantum morbis, de arte obstetricia.

In clinico medico et obstetricio dux mihi fuit Ill. *Berndt*; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Cel. *Kneip*.

Praeterea sodalis fui societatis chemico-physiologicae, cui praeest Ill. *Hünefeld*.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, summopere colendis gratias ago quam maximas, prae ceteris vero Ill. *Berndt* et Cel. *Kneip* quorum favore munere medici inferioris in nosocomio provinciali per semestre perfunctus sum.

Nunc vero tentamine philosophico et medico et examine rigoroso a me absolutis, spero fore ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae honores in me conferantur.

THESES.

I.

Extractio e variis cataractam curandi methodis praestantissima.

II.

Morbus scrophulosus e systemate chylopoëtico non unice originem ducit.

III.

Glaucoma non est morbus corporis vitrei.

IV.

Crusta pleuritica non est certum inflammationis signum.

V.

Bilis non e sanguine venae portae solo paratur.

Nomina medicorum qui instituerunt, et feminarum quae passae sunt operationem.	Indicationes.	Methodus.	Cura.	Eventus faustus: matri.	Eventus faustus: infanti.	Eventus infaustus: matri.	Eventus infaustus: infanti.
Albert, Wiesentheitianus sectionem caesaream instituit in primipara quadam viginti septem annos nata. Quando sectio instituta sit, non memoratur.	Coniugata pollice uno et dimidio non longior fuit.	In linea alba sectio ducebatur.	Vulnus sutura nodosa clausum est; placenta remansit, et demum tredecim horas post partum per vaginam abiit. Cura paulum antiphlogistica et antispastica.			Mortua est mater die sexto post operationem, convulsionibus et meteorismo.	Infans mortuus extrahebatur, quum valde essetcompressus.
Legimus in relatione annua undevigesima clinici obstr. Dresdensis, sectionem caes. ibi in primipara triginta unum annos nata institutam esse.	Coniugata pelvis rhachitide deformatae, duos pollices longa erat.	Sectio sex pollices et dimidium longa ita in linea alba deducebatur, ut lin. sex supra symphysin ossium pubis finiretur.	Vulnus tribus suturis cruentis clausum est, ita ut peritonaeum non una cum integumentis abdominis acubus perforatum sit. Cura propter diarrhoeam non satis antiphlogistica institui potuit. —		Infans vivit.	Mater die quinto post operat. peritonaeitide, metriide et enteritide mortua est.	
Chirurgus Büren, in uxore cuiusdam Schumacher, triginta annos nata, quae antea iam sexies via naturali partus ediderat, sectionem caes. instituit. Quando? non scriptum est.	Pelvis arthritide et osteomalacia tam compressa erat, ut coniugata longitudinem pollicis unius linearumque novem vix aequipararet.	Sectio in linea alba instituebatur.	Non solum vulnus abdominale sed etiam uterinum suturis cruentis concludebatur.		Infans vivit.	Mater die decimo quinto metriide lenta moriebatur.	
Busch, Berolinensis in uxore textoris cuiusdam, primipara, XXXI annos nata, anno 1831 sect. caes instituit.	Coniugata pollices duos et dimidium longa erat.	Sectio, quinque pollices longa, latere lineae albae sinistra deducebatur. Velamenta una cum incisione in uterum, per vaginam dirumpebantur. Placenta per vulnus extrahebatur.	Vulnus quinque suturis concludebatur, sed ita ut peritonaeum ictibus acu non perforaretur. Cura erat antiphlogistica.		Infans vivit.	Mater moriebatur die quinto, meteorismo et convulsionibus.	
Reuter, Altvillensis, sect. caes. instituit, die decimo tertio mens. Ianuar. anni 1831, in parturiente quadam, cui iam decem diebus ante, velamenta sponte rupta erant.	Coniugata pollicem unum et novem lineas longa erat.	Sectio in linea alba ita instituebatur ut duos pollices infra umbilicum initium capiens, pollicem unum et dimidium supra symphysin ossium pubis finiretur.	Vulnus solito modo curabatur. Cura primum erat antiphlogistica, deinde roborans.			Mater die octavo morti succubuit.	De infante nihil dictum est.
Stein, Bonnensis, sectionem caes. in muliere triginta annos nata, quae iam antea plures infantes via naturali pepererat, tempore aestivo anni 1832 instituit.	Pelvis osteomalacia ita deformata erat ut exploratio per vaginam institui non posset.	Instituebatur sectio diagonalis a latere sinistro ad dexterum.	Superior vulneris pars tribus suturis cruentis concludebatur, inferior emplastro adhaesivo continebatur. Cura paulum refrigerans.		Infans vivit.	Mater hora trigesimo post operationem mortua est.	
Martin, Monachiensis, calendis Octobr. anni 1834, sect. caes. in primipara, XXX annos nata, instituit.	Coniugata longitudinem pollicum duorum et linearum sex, aequiparabat.	Methodus non memoratur.	Cura deest.		Infans vivit.	Mater die quinto post operation. moriebatur.	
Goetsche, Elmshorniensis, sect. caes. instituit die XX. mens. Novembr. anni 1834.	Coniugata vix trium pollicum longitudinem habuit.	Sectio in linea alba ducebatur.	Quatuor suturae cruentae applicabantur. Cura antiphlogistica erat et antispastica.			Mater subito die tertio moriebatur, postquam inflammatio aliquid diminui visa est. Cadaver non dissecabatur.	De infante nihil adiectum.
Chirurgus B. G. Kranefuss, Harsewinkeliensis, die XVIII. mens. Mart. anni 1834, sect. caes. in Anna Specht XLII annos nata primipara instituit.	Coniugata duos pollices longa erat.	Sectio, quinque pollices et dimidium longa, in linea alba instituebatur.	Suturae cruentae quatuor imponebantur. Cura antiphlogistica erat.		Infans vivit.	Mater die decimo tertio enteritide, quae partim in sphacelum abiit, moriebatur.	
Textor, Wirzeburgiensis, sect. caes. instituit in puerpera quadam XXXVI annos nata, mens. Aug. anni 1835.	Coniugata pollices duos et dimidium longa erat. Pelvis rhachitide ita deformata erat, ut promontorium ab osse pubis dextro vix duos pollices distaret.	Sectio in linea alba instituebatur. Placenta e vulnere protrahebatur.	Sutura clavata imponebatur. Cura erat leniter laxans, et paulum antiphlogistica.		Infans vivit.	Mater moriebatur die secundo, paralysi pulmonum.	
Neuber, sect. caes. instituit in primipara, XXXI annos nata, die XXV. Septembris anni 1836.	Tubera ischii tres pollices distabant, et apertura infima, osse coccygis immobili valde inverso, tam compressa erat, ut digiti quatuor, vix usque ad phalangem primam intrare possent.	Sectio, septem pollices longa, in linea alba instituebatur, ita ut a novem lineis sub umbilico incipiens, pollicem unum supra symphysin ossium pubis finieretur. Liquor amnii, quum velamenta per vaginam dirumpi non potuerunt, per vulnus effluxit.	Tres suturae cruentae applicabantur, eo tamen modo, ut peritonaeum non perforaretur. Medicamenta non dabantur, quia valetudo optata erat.			Die sexto puerpera e lecto surgebat, saltabat, et magnam copiam spiritus frumenti sumebat, quo facto, die sequente peritonaeitide acutissima correpta, moriebatur.	
Dollhoff, Parthenopolitanus, sect. caes. instituit in Friederica G. XXXII annos nata, die XV. mens. Mart. anni 1838.	Haec operatio, valde memorabilis quidem, hoc loco proponi nequit. Cuius interest hanc rem cognoscere videat: Rust's Magazin Bd. 28, pag. 74 sqq. —				Infans vivit.	Mater modo post operation. morti succubuit.	
Chirurgus Wolf, Zellensis, sect. caes. instituit, in uxore cuiusdam T, XXXIX annos nata primipara, die XX. mens. Mart. anni 1839.	Coniugata pollices duos et sex lineas longa erat.	Methodus et	cura desiderantur.			Mater die secundo mortua est.	De infante nihil scriptum est.
Textor, Wirzeburgiensis, laparotomiam instituit in muliere quadam, quae iam antea octo liberos via naturali pepererat, mens. April. anni 1839, propter rupturam uteri. Mater duobus praeterlapsis diebus mortua est. Infans mortuus protrahebatur.							
Meyer, Mindensis, sect. caes. instituit in uxore cuiusdam Holle, quae iam antea ter feliciter infantes pepererat.	Pelvis osteomalacia ita compressa erat, ut digitus intrare vix posset. Promontorium symphysin reclinatam fere tetigit, quare uterus plane in pelvi maiore situs erat.	Sectionis in linea alba institutae longitudo non memoratur.	Cura fuit antiphlogistica et antispastica; postea, quum vires deesse coepissent, roborans.	Mater die decimo mensis Aug. sana dimissa est.	Infans vivit.		
Herzbruch, sect. caes. instituit in primipara quadam, annos XXXI nata.	Spinae ossium ischii inter se pollices duos distabant. A margine superiore arcus pubis usque ad finem ossis coccygis spatium exstabat pollicum duorum et dimidii. Coniugatae magnitudo investigari non potuit. —	Sectio, sex pollicum longa, in lin. alb. ducebatur. Placenta, quum media in sectionis directione affixa esset utero, non dissecabatur. Velamenta per vulnus dirumpebantur.	Vulnus sutura cruenta clausum est, sed ita ut peritonaeum non perforatum sit. Diaeta adhibebatur paulum refrigerans; postea nutriens et roborans. —	Mater, hebdomade post operat. octava, sana e cura dimittebatur.			Infans mortuus protrahebatur.
Schenk, Siegensis, sect. caes. instituit die XVII. mens. Iun. anni 1832, in parturiente quadam, cui iam decem horis ante velamenta sponta rupta erant.	Coniugata pollicum duorum et linearum sex longitudine erat.	Sectio in linea alba instituebatur.	Suturae cruentae octo applicabantur. Cura antiphlogistica instituebatur.	Mater, quatuor hebdomadibus post operation. praeterlapsis, sana e cura dimittebatur.	Infans vivit.		
Wittzack, Templinensis, sect. caes. instituit, in primipara XXXVIII annos nata. Quando operatio instituta sit, non scriptum est. —	Coniugata, propter nimiam promontorii in pelvim prominentiam, unum solum pollicem et sex lineas longa erat.	Sectio in linea alba instituebatur.	De cura omnino silentium est. —	Mater, quarta post operationem hebdomade sana e cura dimittebatur.			Infans mortuus protrahebatur.
Kilian, Bonnensis, in Charlotte Tölsch, XXIII annos nata primipara, pridie calend. Decembr. anni 1832 sectionem caes. instituit.	Coniugata vix tres pollices longa erat. Promontorium a ramo ossis pubis sinistri pollices duos et lineas sex distabat, a ramo dextro fere pollices duos et novem lineas. Diameter rectus aperturae secundae pollices tres et dimidium longus erat.	Sectio septem pollicum longa, in linea alba ita ducebatur, ut a pollice uno sub umbilico initium capiens, pollicem unum supra symphysin finiretur.	Vulnus tribus suturis cruentis ita concludebatur, ut etiam peritonaeum acubus perforaretur. Primum emulsio oleosa cum Aqua laurocerasi porrigebatur. Ceterum cura antiphlogistica et antispastica erat.	Mater die X. mensis Ianuar. anni 1833 sana e cura dimittebatur. Postea herniaabdominalis oriebatur.	Infans vivit.		
Idem eandem felici eventu, die vicesimo primo mensis Decbr. anni 1838, sectione caesarea a foetu vivo liberavit.							
Goetsche, Elmshorniensis, die XXII. mens. Iun. anni 1834, in primipara quadam, XXXI annos nata, sect. caes. instituit.	Coniugata pollices duos et dimidium longa erat.	Sectio in linea alba instituebatur.	Tres suturae cruentae applicabantur. Cura antiphlogistica erat.	Mater d. XXII. mens. Aug. sana e cura dimittebatur.			
Bauer, Oberolawiensis, in parturiente quadam, XXXV annos nata, diem ante calend. mai. anni 1835 sect. caes. instituit. —	Tubera ischii vix pollicum duorum longitudine distabant. Introitus pelvis quidem non valde compressus erat.	Sectio, septem pollicum longa, in linea alba ita ducebatur ut a pollice uno sub umbilico initium capiens, unum pollicem supra symphys. oss. pub. finiretur.	Suturae septem cruentae imponebantur, sed ita ut peritonaeum non perforaretur.		Infans vixit; sed mox apoplexia mortuus est.		
Chirurgus Wiefel, Hülsenbuschiensis, die XXII. mens. Aug. anni 1835 sect. caes. in muliere XXVII annos nata, cui iam quatuor dies antea velamenta sponte rupta erant, instituit. —	Coniugata vix pollices duos longa erat.	Sectio in linea alba solito modo instituebatur.	Vulnus abdominis quinque suturis cruentis concludebatur et ipsi utero nonnullae suturae imponebantur. Cura antiphlogistica.	Mater die XXII. post operationem sana e cura dimittebatur.			Infans, vivus quidem extractus, hora dimidia praeterlapsa virium defectu moriebatur.

Nomina medicorum qui instituerunt, et feminarum quae passae sunt operationem.	Indicationes.	Methodus.	Cura.	Eventus faustus: matri.	Eventus faustus: infanti.	Eventus infaustus: matri.	Eventus infaustus: infanti.
Petrenz, Schandowiensis, sect. caes. instituit in parturienti quadam XXVIII annos nata, die XXVI. mens. Aug. anni 1835.	Coniugata duos pollices longa erat.	Sectio, quinque pollicum longitudine, in linea alba ducebatur.	Vulneri suturae cruentae imponebantur. Cura antiphlogistica et antispastica instituebatur.	Mater hebdom. sexta sana e cura dimittebatur.	Infans vivit.		
Ritgen, sect. caes. instituit, in muliere quadam, annos XXXVI nata, arthritide correpta, quae antea septem liberos via naturali pepererat, mens. Novbr. anni 1835.	Maxime compressum erat spatium inter utramque os ischii, eo quidem loco, ubi cum osse pubis coniunguntur; distabant enim hic unum solum pollicem. Coniugata tres pollices et dimidium longa erat.	Sectio in linea alba ducebatur.	Quinque suturae cruentae imponebantur.	Mater die quarto, mens. Ian. ann. 1836 sana e cura dimittebatur.	Infans vivit.		
Neuber, Molsdorfiensis, sectionem caes. instituit in uxore cuiusdam Iacobi B., triginta septem annos nata primipara, die XXIV. mens. April. anni 1836.	Coniugata pollicem unum et octo lineas longa erat.	Sectio in linea alba instituebatur, ita ut a pollice uno sub umbilico initium capiens, lineas XVIII supra symphysin finiretur.	Vulneri suturae quinque ita applicabantur, ut peritonaeum acubus perforaretur. Cura erat antiphlogist. antispastica.	Mater die decimo septimo, sana e cura dimittebatur.			Infans mortuus ex utero protrahebatur.
Michaelis, Kiliensis, sect. caes. instituit in femina, nominis Adamez, die XXVII mens. Iun. anni 1836.	Coniugata vix duos pollices aequiparabat.	Sectio in linea alba, longitudine quinque pollicum instituebatur.	Applicabantur tres suturae cruentae. Die tertio quum peritonaeitis incideret, abdomini imponebantur hirudines duodecim; praeterea dabantur omni hora calomelanis gr. ii. et omni semihorio pilula glaciei, ponderis duarum drachmarum.	Die XXV. Augustii mater sana e cura dimittebatur.	Infans vivit.		
Illa femina iam antea ter sectioni caes. sese subiecerat. Primum enim die XVIII. mens. Iun. anni 1826 Dr. Zwanck operationem instituit. Deinde mens. Ian. anni 1830 a Weidmann, Kiliensi, operatio instituebatur. Tertiam in eadem femina sectionem caes. instituit Michaelis anno 1832.							
Stracke, Cassellensis, sect. caes. instituit in Iohanna S. XXXII annos nata, die XV. mens. Aug. anni 1836.	Coniugata vix duos pollices et tres lineas longa erat.	Sectio in linea alba ducebatur ita ut a pollice uno et dimidio sub umbilico initium capiens, pollicem unum supra symphys. oss. pub. finiretur.	Cura paulum antiphlogistica instituebatur. Postea, quum haemoptisi laboraret mulier, Decoct. Radic. Senegae cum Amon. muriat. datum est.	Mater d. XXVI. mens. Septbr. sana dimittebatur.	Infans vivit.		
Metz, Aacheniensis, sect. caes. in Anna Maria Charon, XXVIII annos nata instituit, die VI. Februarii anni 1837.	Coniugata longitudinem habuit pollicum duorum et linearum trium. —	Sectio, in linea alba, fere septem pollices longa, duos pollices sub umbilico initium cepit.	Imponebantur suturae cruentae quinque, quibus peritonaeum non perforaretur. Cura erat antiphlogistica.	Die ante calendas Iunias sana dimissa est.	Infans vivit.		
Vormann, Haverscheidiensis, sect. caes. in Wilhelmina Schuster, quae iam antea tres liberos via naturali pepererat, die III. mens. Septbr. 1837 instituit.	Pelvis osteomalacia et arthritide tam compressa erat, ut diameter transversus aperturae infimae vix pollicem unum et octo lineas, et diameter rectus, pollicem unum et quinque lineas longus esset.	Laparotomia, fere pollices septem longa sub umbilico initium capiens in linea alba ducebatur. Uterus quinque pollicum longitudine incidebatur, postquam brevi ante velamenta per vaginam dirupta sunt.	Suturae cruentae applicabantur tres. — Interne primis diebus potio Riveri porrigebatur, et aliquid Tct. opii propter agrypniam. Seriore tempore medicamenta roborantia praescribebantur. — Clysmata aperientia et Oleum ricini saepius propter alvi tarditatem applicabantur.	Decem hebdomadibus post operat. praeterlapsis mater sana e cura dimittebatur.			Infans, quum firme in apertura prima inclusus esset, mortuus protrahebatur.
Michaelis, Kiliensis, sect. caes. instituit in muliere quadam Dohm, XXXVII annos nata, die XXII. Octbr. anni 1837.	Coniugata duos pollices et quatuor lineas longa erat.	Quum umbilicus non plus quam septem pollices a symphysi oss. pub. distaret, sectio sex pollices longa, latere sinistro prope lineam albam, ab uno pollice supra umbilicum initium capiens, deducebatur. Secundinae per vaginam abierunt.	Suturae quatuor, peritonaeum perforantes applicabantur. Cura leniter antiphlogistica erat.	Mater, die quadragesimo, sana dimittebatur.	Infans vivit.		
Königsfeld, habitans Dürae ad Rhenum, sect. caes. instituit in G. B. annos triginta septem nata, die XXVIII. Mart. anni 1838.	Coniugata longitudinem habuit duorum pollicum et trium linearum.	Laparotomia quinque pollices longa fiebat in linea alba. Tum fundo uteri vulnus, velamenta non laedens, XVIII lineas longum infligebatur, quo facto culter, duce digito indice sinistro, in profundissimam cavitatis uteri partem deducebatur, ibique velamenta incidebantur, ita ut liquor amnii per vaginam efflueret. Deinde vulnus uteri prolongabatur, simulque velamenta plane dirumpebantur.	Suturae cruentae imponebantur quinque. Cura antiphlogistica, antispastica. Diaeta tenuis.	Vulnus die vigesimo plane clausum erat. Mense Iunio mater sana in patriam suam dimittebatur.	Infans vivit.		
Kilian, Bonnensis, in Catharina Charubel, XXXI annos natam, die XIX. Septembris anni 1839 sect. caes. instituit. Haec mulier bis feliciter via naturali infantes pepererat. Quater, propter pelvim, arthritide compressam perforatio in foetubus iam mortuis instituta erat.	Promontorium a ramo ossis pubis dextri horizontali, pollices duos et dimidium distabat, a ramo horizontali ossis pubis sinistri, pollicem unum et novem lineas. Praeterea omnes diametri, iusto breviores erat.	Sectio, sex pollices longa, in linea alba facta est	Suturae cruentae imponebantur tres. Deinde porrigebantur nonnullae guttae Tct. opii simpl. Ceterum cura antiphlogistica instituebatur.	Mater die XI. Novbr. sana e cura dimittebatur.	Infans vivit.		